DE PERFECTI CONIUNCTIVI USU POTENTIALI

APUD

PRISCOS SCRIPTORES LATINOS.

DISSERTATIO PHILOLOGA

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

PROPOSUIT

FRANCISCUS CRAMER

Rhenanus.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS C. L. PFEILII TYPOGRAPHI ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXXXVI.

Theodoro Birt

Leopoldo Schmidt

S.

Praefatio.

Ex quo Eduardus Luebbert post Madvigii Curtii Hermanni aliorum curas priscum perfecti Latini usum nova disputandi via et ratione usus disquisivit et inlustravit[1]), constat inter omnes 'perfecti' coniunctivi formas per *s* litteram fictas, velut *dixim faxim amassim*, usu et natura plane differe a vulgaribus formis velut *dixerim fecerim amaverim (amarim)*[2]).

Cum enim formae *r* littera insignes et praeteriti et futuri vim complectantur[3]), illi breviores coniunctivi sola 'aoristi' natura induti semper ad rem futuram spectant. Pro eis quae sunt e. g. *ne faxis, non negassim* dici potuit *ne feceris, non negaverim;* sed numquam pro eo quod est e. g. *nescio an fecerit* (perf. log.) ponebatur *nescio an faxit.* Cuius discriminis Luebbert psychologica arte nisus idoneam

1) Grammat. Studien I. (Der Coni. Perf. u. d. Futur. ex. i. ältern Latein) Vratisl. 1867.

2) Conf. Brix, Nov. annal. 101 (1870) p. 423 sqq., Rud. Westphal, Die Verbalflexion d. lat. Spr. (Jenae 1873) p. 297. 299. 300, C. Brugmann, Morphol. Unters. III. (1880) p. 34. 39.

3) Ad hoc iam A. Gellii aequales attendisse cognoscere licet ex eius narratione quae exstat Noct. Att. XVIII. 2. §. 14 sqq. Posteriore aetate hanc rem tractarunt e. g. G. H. Ursinus (Institutio linguae Lat. p. 587), Marius Corradus (De lingua Lat. lib. III.), G. J. Vossius (De analogia III, 13 sqq.), Perizonius (ad Sanctii Minerv. cap. XIII. not. 6).

reddidit rationem. Etenim ostendit formas in *-sim* origine fuisse 'cogitationis modos' ad historicum praeteritum ('aoristum') pertinentes ideoque inservisse futuro tempori significando [1]).

Quam ad rem inlustrandam comparat formas in *-sim* cum Graecorum tempore historico i. e. aoristo. Namque etiam Graeci aoristi coniunctivus et optativus initio semper res futuras significaverunt [2]). Cur autem aoristi modi, cum per se spectati solam verbi actionem denotent (sine ullo temporis indicio), ad futurum significandum conversi sint, Luebbert sic explicat: *Im Modus der Vorstellung aufgefasst, konnte der Begriff des vollendeten Seins in der ältesten Zeit der Sprache eben nur auf die Zukunft bezogen werden, da der objektive Sinn der ältern Sprache das vollendete Sein der Vergangenheit auch nur objektiv in dem Modus der vollen Wirklichkeit, im Indicativ, darzustellen liebt* (p. 70).

Pleniores autem in *-erim* formas aeque ac breviores communem duxisse originem putat ab antiquioribus formis in *-isim*, ita ut v. c. *amassim* syncopa fictum sit ex *amavisim:* ex qua forma rhotacismo qui vocatur *amaverim* natum esse. Ea autem perfecta et indicativi et coniunctivi modi, quae breviorem coniunctivum in *-sim* habebant (i. e. omnia perfecta in *-si* et *-vi* et aliquot non reduplicata in *-i*) ex Luebberti sententia primo non pro logico perfecto fuerunt, sed historicae narrationi inservierunt. Contra consentaneum esse statuit perfecta reduplicata semper fuisse vere praeterita neque syncopam admisisse: quorum coniunctivum vim perfecti praesentiae habuisse videri *(also tetigisim für*

---

1) Curtius (Temp. u. Modi p. 208) docuerat praeteriti historici notionem ortam esse ex debilitatione quadam proprii perfecti. Luebbert contra ostendere conatus est ab initio hanc vim in quibusdam formis infuisse (l. s. s. p. 69 sqq. 77).

2) Coniunctivus id designat quod praesenti tempore est futurum; optativus contra saepe notat id quod praeterito tempore futurum erat. In Homeri carminibus unum locum excipiendum esse putat Luebbert (Od τ 463); adsentitur Westphal p. 299. Sed accedit fortasse Od. σ 79.

das praesentische Perfect, aber taxim für den Potentialis[1]) *futuri*). Illud vero discrimen inter vera perfecta et historica praeterita intercedens evanuisse censet in toto indicativo modo et in coniunctivi formis per *r* litteram fictis, ita ut hae pleniores in *-erim* formae utramque significationem (et perfecti et historici praeteriti) complectentes adhiberentur ad res et futuras et praeteritas cogitatione sumptas significandas[2]). Contra formas in *-sim* semper retinuisse solam historici temporis (aoristi) notionem.

'Semasiologicam' utrarumque formarum notionem Luebbert penitus perspexit et subtilissime explanavit, licet etymologica explicatio ab eo prolata stare nequeat[3]).

Formae enim quales sunt *dixo faxo capso* et *dixim faxim capsim* videntur esse coniunctivi et optativi pristini aoristi sigmatici[4]). Nec negari potest cum hac ratione

---

[1]) Luebbert nomen quod est 'Potentialis futuri' accipit fere pro coniunctivo modo futuri.

[2]) Quo factum est, ut in quibusdam structuris etiam ad 'praeteritum in futuro' signandum (i. e. pro coniunctivo futuri exacti) usurparentur. Qua re commotus Madvig (opusc. acad. alt., Hauniae 1842 p. 60 sq. 99) eas formas reapse esse coniunctivos futuri exacti sibi persuasit. Simili modo formas *faxo* simil. et *faxim* simil. indicativos et coniunctivos futuri simplicis (Graeco futuro in — σω respondentis) esse putavit. Quam rationem refutaverunt G. Hermannus (De Madv. interpretatione quarundam verbi Lat. formarum, Lips. 1842) et G. Curtius (Temp. u. Modi p. 344. 355). Secutus est Madvigium Lorenz, qui ad Most.[2] (1883) v. 252 adnotat: ne — dixeris '*damit du nicht gesprochen haben sollst' Fut. ex. Coni., . . . (Madvig. Gramm.* §. *379, a*).

[3]) Vide Westphal l. s. s. p. 300 sq., Brugmann l. s. s. p. 36. 39. 73.

[4]) Primus Brugmann l. s. s. in hanc sententiam indicavit; secuti sunt e. g. Mahlow, Kuhn. ephem. XXVI 568 (qui tamen etiam dixero dixerim simil. primitus veram aoristi naturam habuisse censet), J. Schmidt ibid. XXVII 327, F. Stolz, Zur lat. Verbalfl. I p. 30 sq. (9.), Osthoff, Zur Gesch. d. Perf. i. Indogerm. p. 215. — Ambigitur de origine formarum ad vocalium stirpes pertinentium velut *amassim licessim* simil. Conf. Brugm. p. 39, Osthoff p. 221, 549, Thurneysen in Bezzenb. Beitr. IX 276, F. Stolz in 'Handbuch d. klass. Altertumsw.' II (1885) §. 110. Utique haec formae eadem syntactica vi sunt praeditae atque v. c. *faxim*.

quam optime syntacticam vim illarum formarum convenire. Pleniores autem formae ad perfectum in *-si* pertinentes (velut *dixerim*) ad analogiam coniunctivi veri perfecti videntur natae esse[1]). Sed utut de ipsis formis iudicas, hoc utique tenendum est semper formas in *-sim* et saepe etiam formas in *-erim*[2]) in prisca latinitate eodem modo adhiberi atque coniunctivum et optativum Graeci aoristi. Est igitur *ne faxis* vel *ne feceris* idem ac *μὴ ποιήσῃ* et *dixerit quispiam* idem atque *εἴποι (λέξειέ, φήσειέ) τις ἄν*. Ceterum idem iam sensit F. Ellendt[3]): non dicam, inquit, *et* non dixerim *eodem modo differunt quo Graeca οὐκ ἂν λέγοιμι et οὐκ ἂν λέξαιμι*. Non igitur perfecti coniunctivi usus in sententiis quae sunt vetantis vel leniter contendentis cum Zumptio[4]), Lindemanno[5]), Holtzio[6]) aliis ex logici (vel praesentiae) perfecti natura est explicandus, sed in eiusmodi enuntiatis coniunctivum historici praeteriti sive aoristi agnoscamus oportet[7]).

Ac potentialem quidem coniunctivi perfecti usum, cum accuratiore disquisitione adhuc careat, hac commentatione sum persecuturus: ita tamen, ut non modo ‘historici praeteriti’,

---

1) Brugmann l. s. s. p. 36. 56. 73. Vetustum aoristum sigmaticum omnino cum perfecti conformatione esse commixtum satis certum videtur (Brugm. p. 36, F. Stolz Zur l. V.-Fl. p. 43 sqq., Osth. p. 215 sqq.).

2) V. Luebbert l. s. s. p. 30 sq.

3) De formis enunt. condic. l. Lat. (Regimontii 1827) p. 31.

4) Gramm. §. 528. Praefert tamen eam rationem, ex qua coni. perf. etiam est pro coni. futuri exacti.

5) Ad Capt. I 2,43: *Ego tamen in eam sententiam inclino, ut haec omnia* [scil. formas littera *s* insignes] *existimen perfecta, quae tamen non raro natura sua ut omnia perfecta praesentis notionem asciscant.*

6) Synt. prisc. scr. Lat. II 79: *Actio per antecedens quasi iam praeterita fingitur et animo repraesentatur.*

7) *Ne dixeris* et *dixerit quispiam* simil. per totam fere latinitatem erant in usu: sed latius apud priscos patebat illa coni. perf. proprietas. Ponebantur enim pleniores formae eodem sensu ac breviores etiam in optando (quamvis raro), in precando, post particulas *ut* et *ne*, in quibusdam aliis secundariis enuntiatis: v. Luebbert l. s. s. p. 30 sqq. 39. 52.

verum etiam perfecti logici (res praeteritas significantis) et passivi generis exempla respiciam. Potentialem autem modum intellego omnino id (praesentis et perfecti) coniunctivi absoluti genus, quod locum habet in enuntiatis ad intellectum et iudicium (non ad voluntatem [1]) spectantibus.

Sed quaedam iuvat praemittere. Ciceronis quidem et posterioris aetatis urbano sermoni probatissimus fuit usus perfecti modi potentialis pro praesenti positi. Notissimae sunt formulae illae: dixerit aliquis, forsitan quispiam dixerit, haud facile dixerim; ac praeter dixerim, — is, — it omnino verba cogitandi et dicendi imprimis in hunc modum usurpabantur: narraverim, confirmaverim, laudaverim, crediderim simil. Semper fere tum adhibebat Cicero perfectum, cum de certa persona loquebatur [2]). Argenteae vero aetatis scriptores, imprimis Tacitus, potentialis modi provinciam haud mediocriter protulerunt. Quo factum est, ut labente nativo latinitatis vigore vel in finalibus sententiis formam *dixerim* pro *dicam* ponerent [3]), atque nonnumquam etiam alia verba ita usurparent [4]).

---

1) Hac distinctione recte utimur, licet utriusque generis fines non usquequaque accurate distineantur. Velut adhortatio vel iussum nonnumquam exprimitur per coniunctivum cum *non* (pro *ne*) copulatum ita ut forma modi potentialis evadat. Quae ratio tum fere adhibebatur, cum quis aut ipsam negationem *(non = ne oenum)* fortius premere volebat (velut Liv. 6, 41, 10 *non leges auspicato ferantur, non magistratus creentur*) aut notionem aliquam affirmativam circumscribebat per contrariam cum negatione iunctam (velut Cic. p. Cluent. 57 *a legibus non recedamus* [= sequamur leges]). — Difficilior est quaestio de particulae *non* usu in interrogationibus dubitativis et indignabundis (velut *egon' hoc non faciam?*). Draeger sane (Hist. Synt. I² p. 306 sqq.) eius generis exempla ad potentialem modum rettulit: sed ad iussivum genus eas interrogationes pertinere vel inde patet, quod Cicero interdum admisit *ne*: Att. 12, 40 *ne doleam? Qui potest? ne iaceam?* Fortasse particulae *non* usus ex eo explicari potest, quod propter interrogativam enuntiati formam voluntatis notio minus distincte percipiebatur.

2) Meiring. Lat. Gramm. §. 642.

3) scil. in formula *ut ita (sic) dixerim* (velut Tac. Agric. 3).

4) Velut Tac. annal. VI, 22 *ne longius abierim.*

Familiarissimus igitur est perfecti potentialis inferioris aetatis hominibus: priscis scriptoribus non item.

Namque accuratius in rem attendenti patebit prisca aetate cum breviorum formarum usum potentialem artissimis finibus includi, tum pleniores formas ad rem futuram potentiali modo significandam non usurpari nisi in structura hypothetica[1]). Condicio autem eiusmodi locis effertur vel solito more particulis *si*, *nisi*, *ni*, vel (rarissime) pronomine relativo *qui* = *si quis*, vel (rarissime) particulis *ubi* et *quom*[2]), quae tum ad vim condicionalem accedunt. Atque primarii quidem enuntiati condicionalis paucissima exstant exempla, plura secundarii. Ceterum et ipsa vi ac notione illum modum potentialem aliquantum differre a posteriore usu videbimus.

Satis inauditum sane id, quod modo velut rei summam adumbravi, ad multorum aures accidet puto[3]). Sed hoc saltem nuper iam ab aliis cognitum est potentialem perf. act. pluralis apud priscos scriptores nondum inveniri[4]).

---

[1]) De passivo genere hoc non dictum volo.

[2]) *Quom* hoc modo a solo Catone usurpatur; de *quom* part. hypothetica v. e. g. Schultz Lat. Gramm. §. 365 not. 2; Holtze II p. 152 (e. g. Cat. de agric. 90 *quom far insipiat, puriter facito*). De *ubi* particula v. Meiring l. s. s. §. 644 not. 1.

[3]) Quae sit ratio nostri idiomatis apud priscos scriptores adeo non est notum, ut vel mera coniectura locis quam minime idoneis perfecti potentialem in textum inculcare quidam non sint veriti. Atque Draeger, qui recentissimo tempore de historia syntaxis latinae illustranda optime est meritus, sic iudicat: „Der Coni. potentialis ist bereits im Altlatein, namentlich bei den Komikern, ganz gewöhnlich" (I p. 305); sed perfecti saltem potentialem excipere debuit: omnia quae affert perfecti exempla, spectant ad Ciceronianam ac posteriorem aetatem. Zumpt contra solita observationis acie usus statuit: „Im Ganzen ist zu bemerken, dass der Coni. als potentialis von den älteren Schriftstellern sparsam angewandt wird." (Gramm. §. 528 not. 1.) In eandem sententiam Schultz l. s. s. §. 243 haec scribit: „Der Coni. als Potentialis wird von den Schriftstellern aus der Zeit der Röm. Republik viel seltener gebraucht als von den späteren."

[4]) Tabular. lexicograph. ed. Woelfflin. I. (1884) p. 347 sq. (J. H. Schmalz: Potentialis Perf. act. plur. und Perf. depon.): Vor Cicero

Atque quae ipse supra statui, quam recte sint dicta, quaeque sint internae rei rationes ex nostra disputatione fore ut eluceat spero.

---

lässt sich kein Beispiel nachweisen und bei Cicero selbst lesen wir . . . . nur Tusc. 3,7 und nat. deor. 1,52 dixerimus." Conf. tamen infra cap. II B §. 5 s. f.

Caput primum.

De formis per s litteram fictis.

Quamquam formae per *s* litteram fictae suapte natura maxime idoneae erant ad potentialem modum significandum, et quamquam magna est earum frequentia in optando, vetando, similibus structuris, tamen mirum est quam angustis terminis potentialis earum usus sit circumscriptus. Nam praeter *faxim* et *ausim*, quae formae tanto opere inveteraverant in communis vitae consuetudine, ut etiam postea ne in soluta quidem oratione plane evanescerent, in enuntiatis absolutis brevior forma codicum testimonio non plus uno loco Plautino confirmatur: hunc vero locum a Plauto non esse profectum verisimile est (Asin. 503; v. infra). Paucissima autem alia exempla ex coniectura a viris doctis varia fide in textum qui vocatur inlata sunt. Ac ne in condicionalibus quidem enuntiatis, ubi praecipuum locum habere genus potentiale scimus, frequens est breviorum formarum usus. Cuius rei quae sit causa infra videbimus.

A.

I. Formarum quae sunt *faxim* et *ausim, -is, -it* exempla in oratione absoluta sunt haec obvia:

1. *faxim:* a. in hac loquendi formula positum: *bene* sive *male lubens faxim:*

Plaut. Poen. V, 2, 131 *male faxim lubens.*
Ter. Ad. 886 tibi *Lubens bene faxim.*
De Adelph. v. 895 vide infra[1]).

---

[1]) Eadem formula invenitur in enuntiato relativo: Aul. 420 *homo nullust . . . quoi ego . . . male plus lubens faxim.* Sed ibi coniunctivus positus est propter negativam sententiam; iam enim Plautus semper in eiusmodi enuntiatis coniunctivum adhibuit (v. Paetzolt Beitr. zur hist. Synt. d. l. Spr. Waldenburg 1875. 4.).

b. Verbo finito paratactice est adiunctum *faxim*
Plaut. Aul. 494: *ego faxim muli pretio qui superant equos sint viliores Gallicis cantheriis.*
Trin. 221 *pauci sint faxim qui sciant quod nesciunt.*
De Amph. 511, Merc. 814, Pers. 73 v. infra.

2. a. *ausim*[1]):
Plaut. Aul. 474 *Jam hunc non ausim praeterire, quin consistam et conloquar.*
Bacch. 1056 *ne cum illo pignus haut ausim dare.*
Poen. V, 6, 21 *haud aliter ausim.*
Ter. Eun. 884 *neque ausim te servare.*
Eun. 904 *neque edepol servandum tibi Quicquam dare ausim.*
Lucr. II, 178 *hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim Confirmare.*

b. *ausis* nondum occurrit apud Plautum et Terentium. Omnino duo tantum inveni exempla.

In rhetorica quae appellatur interrogatione:
Lucr. VI, 412 *an hoc ausis*[2]) *umquam contendere factum*[3])?

In enuntiato relativo ad incertum subiectum significandum[4]):

---

1) Forma ausus sim (pro praeterito) semel apud priscos scriptores invenitur: Ter. Eun. 1045 *Quid laudem maxume? . . . me qui id ausus sim incipere?* Ausus sim = ausim e. g. apud Consent. Gramm. lat. V 358, 13.

2) Intellegenda est persona Memmi, ad quem misit carmen suum Lucretius.

3) Alia est ratio earum interrogationum, quae alterius dicta vel postulata reiciunt et sunt mirantis atque indignantis, obviae eae quidem in scaenicorum diverbiis (Most. 923. 924 *egone te ioculo modo ausim fallere?* || *egon abs te ausim non cavere?* Merc 154 *egon tibi ausim usquam quicquam facinus falsum proloqui?* Poen. I, 1, 21 *egon istuc ausim facere?*). Dubitativum qui dicitur coniunctivum habemus: Merc. 301 *sed ausimne ego tibi eloqui?* (Quae genera alio loco seorsum persecuturus sum.)

4) Conf. Madvig, Lat. Sprachl. §. 370 (ed. min. §. 325); fortasse tamen enuntiati relativi naturā coni. effectus est (is qui = eine Person der Art dass).

Syri sent. 515 Ribb. *heu quam miserum est ab eo laudi, de quo non ausis queri.*

c. *ausit:*

Plaut. Mil. 11 *Tam bellatorem Mars se haut ausit dicere.*

Animadvertendum est primum, semper fere in negativa sententia positum esse *ausim*, deinde, plerumque verbi auxiliaris vice fungi *ausim, -is, -it* adiuncto infinitivo [1].

II. Aliarum formarum exempla:

1. Librorum memoria est traditum:

Plaut. Asin. 503 *haud negassim.*

Hunc tamen locum posteriore tempore ab histrionibus vel ab aliquo diasceuasta in contextum esse insertum verisimile videtur: v. infra cap. II. B §. 5.

2. His locis satis corruptis coniecturas periclitati sunt editores:

Plaut. Cas. II, 5, 39 *non ego istuc verbum empsim* [2] *titivillitio.*

Mil. 316 *quid? nusquam?* || *Non ego tuam empsim vitam vitiosa nuce* [3].

Men. 185 *ego istic mihi hodie adparari iussim apud te prandium* [4].

Truc. 892 *ne istum ecastor hodie hostissim confectum fallaciis* [5].

Pacuv. 209 *fac ut coepisti: hanc operam mihi des perpetem: oculos transaxim* [6].

---

[1] Cornif. praebet: *non ausim dicere* IV 2, 5 et IV 30, 41. Cic. et Liv. exempla ap. Draeger I² p. 306 sq.

[2] Sic primus scripsit Fruterius; *emissum tibi stalitio* B man. sec., *empsi cum titivillitio* Paul. 336, *emsitem* Fulg. 562, 27, *emissim* Gronovius.

[3] Sic Lindem. probante Ritschelio; *mutuam ea ipsi tui tam* B, *mutuâ ea ipsi tuttâ* CD.

[4] Sic Acidalius prob. Ritsch.; *iussi* codd., quae lectio fortasse est genuina; nam scaena illa Menaechmorum varias passa est retractationes. Conf. Sonnenburg 'De Men. Plaut. retractata libellus' (Bonn. 1881).

[5] Sic Schoell., *hastis confectû* B, *confexim* vulg. lectio ab Acidalio orta, *conficiam* Geppert.

[6] Sic Ribb. praeeunte O. Muellero, *oculis traxerim* cod. (Fest. 217),

Lucr. III, 444 *aëre quî credas posse hanc cohiberier ullo? Corpore qui nostro rarus magis is cohibessit*[1])?

Apparet omnes hos locos tanta laborare corruptione, ut certum iudicium ferri nequeat.

B.

Non multo maior est exemplorum numerus in enuntiatis condicionalibus.

I. Atque in apodosi praeter *faxim* et *ausit* omnino numquam posita videtur brevior forma. Namque unum, quod obstat, exemplum (Mil. 669) Ribbeck ob alias causas spurium indicavit. Atque adeo *faxim* duobus tantum locis obviam fit finiti verbi loco: ceterum alter locus satis est dubius (Pacuv. 424 Ribb.), altero autem (Ter. Ad. 895) et primarium et secundarium enuntiatum magis sunt sollemnes cotidiani sermonis formulae[2]), quam verae sententiae hypotheticae. Ceteris autem locis verbum quod est *faxim* ad fortiorem affirmationem efficiendam (= dafür stehe ich) paratactico more in apodosin insertum est[3]).

a. *faxim:*

1. Pacuv. 424 Ribb. *topper tecum, sist potestas, faxsit: sin mecum velit*[4]).

Ter. Adelph. 895 *si quid usus venerit, Lubens bene faxim.*

2. Plaut. Amph. 511 *edepol ne illa si istis rebus te sciat operam dare, Ego faxim ted Amphitruonem malis esse quam Jovem.*

---

quod defendit Bergk Ephem. Hal. 1842 p. 237, *oculis te axim* Duentzer Diar. ant. stud. 1838 p. 57 sqq.

1) Sic Lachm., *magis incohibescit* codd. Sane similis error saepius occurrit, e. g. Osbern. p. 328 b, ubi *licescit* pro *licessit* (Asin. 603) scriptum est. *usque liquescit* Bernays., *incohibensque est* Bergk., *inque bibens est* Polle, *nil cohibessit* Bockemueller.

2) Conf. P. Langen Beitr. zur Kritik u. Erkl. d. Plaut. p 162.

3) Brix ad Trin. v. 221.

4) Cod.: *sit, faxitsi.* Equidem legerim: *topper tecum sit potestas faxim, si tecum velit* (Voss coni.: *topper tecum sit postidea faxim, si*).

Merc. 814 *ecastor faxim, si itidem plectantur viri, Ut illae exiguntur quae in se culpam commerent Plures viri sint vidui quam nunc mulieres*[1]).

Pers. 73 *si id fiat, ne isti faxim nusquam appareant*[2]).

b. *ausit:*

Bacch. 697 *quem si ego orem, ut nil mihi credat, id non ausit credere*[3]).

II. Nec ita multa exempla ad protasin spectant:

a. atque in recta oratione haec leguntur:

α. Enn. fab. 371 Muell. *plus miser sim, si scelestum faxim.* || *Quid dicam fore?*

Lucr. IV, 505 *vita quoque ipsa Concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis.*

β. Leg. XII. tab. fragm. VIII, 11 Schoell. *si nox furtum factum sit, si im occisit iure, caesus esto*[4]).

Plaut. Asin. 603 *ne ista hercle ab illa non pedem discedat, si licessit.*

Asin. 770 *si quem alium aspexit*[5]), *caesa siet.*

Asin. 794 *fors si tussire occepsit, ne sic tussiat.*

Poen. I, 3, 18 *egone si istuc lepide effexis . . . ut non ego te hodie . . . emittam manu?*

Pseud. 942 *Sed quid tibi bene faciam, si hanc rem sobrie adcurassis*[6])*?*

Poen. prol. 26 *et hic varientur virgis et loris domi, Si minus adcurassint.*

Accedit locus corruptus Plautinus, quem Luebbert (l. p. 93) probabiliter sic restituit:

---

1) De re critica v. Goetz. app. criticum.

2) *Malis* (Amph. 511), *sint* (Merc. 814), *appareant* (Pers. 73) non pendent a verbo quod est *faxim,* sed per se constant et habent vim potentialem.

3) De Mil. v. 669 (*Quid ad illas artis optassis, si optio eveniat tibi?*) vide Ribbeck. in editione.

4) Propter *factum sit* etiam *occisit* ad coni. perf., non ad fut. ex. in *-so* refero; plerumque in legibus futurum II. usurpatur (Luebbert I p. 80 sq.).

5) Non est indicativus.

6) Pers. 393 *Si hoc adcurassis lepide . . . dabuntur* ad futur. II. pertinet: Luebbert I. p. 87.

Stich. 191 *ei hercle verbo lumbos defractos velim. [nam ego cum quovis nunc pignus in cenam duim] ni perierit nive iste cenassit domi.*

ni vere perlerit si B; versum uncis inclusum supplevit Luebbert.

nive iste cenassit h. l. est pro: *nive iste cenaturus sit* [1]). Hanc significationem cum pleniores tum imprimis breviores formae saepe exhibent in variis enuntiatis secundariis. Atque adeo rarus est in prisca latinitate futuri coniunctivus per participium in *-turus* et verbum substantivum formatus, ut eius coniunctivi officium initio plane coniunctivo perfecti praestitum esse colligere possis [2]).

b. Enuntiati primarii verbum aliunde est suspensum ita, ut aut coniunctivo modo aut per infinitivum [3]) efferatur:

α. coniunctivus legitur:

1. protasi praecedente:

Poen. V, 4, 52 *id ego nisi quid di aut parentes faxint, quid sperem haud scio.*

Rud. 1345 *si defraudassis, dic ut . . . Venus eradicet caput atque aetatem tuam.*

2. protasi ultimo loco posita:

Pseud. 1021 *Nimisque ego illunc hominem metuo et formido male, ne in re secunda nunc mi obvortat omnia, Si occasionem capsit.*

β. apodoseos verbum est infinitivus:

1. protasi primo loco posita:

Amph. 69 *nam si qui palmam ambissint histrionibus, seu qui ipse ambissit . . . sirempse legem iussit esse Juppiter.*

Aul. 228 *nunc si filiam locassim meam, tibi in mentem venit Te bovem esse et me esse asellum.*

---

1) Eadem notio manet, si cum Goetzio hoc praeferas: *Ei hercle verbo lumbos diffractos velim, Ne perieraverit, si cenassit domi.*

2) Luebb. p. 52; conf. Madv. l. s. s. p. 103 sq.

3) Ambigitur de Trin. v. 722. Hermann.: *in saginam si erus se coniexit meus, credo . . fore.* Ritschl in priore ed.: *quom,* in altera: *si* (v. Luebb. p. 83).

2. protasi inter enuntiatum absolutum et apodosin interiecta:

Bacch. 1193 *non tibi in mentemst . . . neque si hoc hodie amissis, id post mortem eventurum esse umquam?*

3. protasi postremum locum tenente:

Asin. 612 *nam quid me facturum putas, si istuc quod dicis faxis?*

Quibus locis vix pro certo discerni potest, utrum sola orationis implicatione effectus sit coniunctivus, an etiam potentialis vis sit admixta: cfr. infra cap. II. B. §. 4 [1]).

III. Numquam vero in utroque membro perfecti coniunctivus in *-sim* exiens legitur. Namque unus, qui obloqui videbatur locus, alias ob causas in suspicionem vocatus et correctus est:

Truc. vv. 61—63 (I, 1, 40. 42. 43.) legimus in Schoellii editione ingeniose sic emendatos:

Quos quom celamus si faximus conscios,
Una ante parta demus postpartoribus
Et minus damnosorum hominum quam nunc sunt, sient.

Quae verba post v. 62 in libris leguntur: *faxim lenonum et scortorum plus est,* ea ex duobus interpretamentis orta esse rectissime intellexit Schoell Anal. Plaut. p. 55. 62 (cfr. Truc. edit. praef. p. XVI.). Videmus igitur criticam rationem h. l. fulciri grammatica observatione.

---

1) Hoc unum constat, a priscis Latinis etiam in condicionalibus enuntiatis obliquae orationis secundarium enuntiatum minus primario subiunctum esse, quam posteriore aetate fieri solebat; conf. Liebig, Die hypoth. Sätze bei Terenz (Goerlitz 1863) p. 27—29., Schroeter, Die Condit.-Saetze des Dichters Lucrez (Wesel 1874) p. 24. — Partim obliquo orationis connexu, partim aliis causis (velut 'attractione modorum' vel ob incertam rationem actionis verbo expressae) ortus est nonnumquam coniunctivus perfecti in relativis enuntiatis: Pl. Capt. 343, Liv. 3, 64 (ex l. sacr.), Liv. 6, 41 (ex orat. App. Claud.), Liv. 34, 3 (or. Cat. pr. l. Opp.), et apud particulam *quom* (velut Rud. 1248 *quom lusim*, v. Luebb. p. 84.). Plaut. Mil. 624 (*quod faxis*) non coniunctivus cum Brixio, sed 'futuri exacti indicativus' est agnoscendus; Luebb. p. 88.

Exemplis omnibus excussis cognoscere licet, quam artis finibus sibilantium formarum usus potentialis contineatur, quamvis idoneae sua natura sint ad id munus explendum. Iam videamus, quae de plenioribus formis sint statuenda.

Caput alterum.

De activi generis perfecti coniunctivo littera r ficto et de passivi perfecti coniunctivo.

A. De perfecto logico.

Perfecti logici modus potentialis cum posteriore aetate etiam in absolutis enuntiatis, quamvis raro, occurrat[1]), apud priscos numquam fere[2]) nisi in condicionali structura reperitur. Ac ne ibi quidem est satis usitatus. Nam primarii quidem enuntiati exempla omnino non repperi, nisi quod semel legitur perfectum praesentiae *noveris* et aliquotiens coniunctivus loquendi formularum quae sunt *perii* et *actum est.* Quae perfecta aeque atque *interii* apud comicos plane praesentis naturam induisse constat. Usurpantur enim exclamationis vel interiectionis instar ad significandum nihil iam salutis esse reliquum[3]) (= *es ist aus mit mir, bin verloren, nullus sum; actumst, ilicet, peristi* Ter. Eun. 54.). Forma *pereo* hoc sensu non est in usu excepto uno loco Terentiano: Andr. 244[4]). Contra in secundario enuntiato paulo frequentiora sunt exempla, imprimis perfecti praesentiae.

---

[1]) Conf. tamen Iul. Lattmann, *Die deutschen Modalitätsverba in ihrem Verhältniss zum Lateinischen* (Clausthal 1879) p. 24. sq.

[2]) Semel particulae *quom* temporali adiunctus esse videtur: quamquam etiam hic alia explicatio praestat: v. infra p. 18. De interrogationibus patheticis (velut *ubi ego audiverim?)* v. infra p. 17.

[3]) Conf., si opus est, Draeger, I. p 259 §. 129, Bentleium ad. Ter. Andr. I 3, 7, Phorm. V 9, 20, Ad. V 3, 5, Hand. Tursellin. III. p. 200 sq., Forbiger. ad Aen. II, 421.

[4]) Vide Rothheimer, De enuntiatis conditionalibus Plautinis (Gotting. 1876) p. 16 sqq.

I.

Exstant quaedam enuntiata absolute (i. e. non hypothetice) posita, ubi perfecti logici potentialis videtur adhibitus esse: sed ne species nos fallat cavendum est.

I. Primaria enuntiata.

1. Plaut. Truc. 163 *Dum vivis, hominem noveris: ubi mortuost quiescat.*

noveris non cum Dziatzkone (ad Ter. Phorm. v. 265 p. 104) et Holtzio (Synt. prisc. scr. Lat. II. p. 142) ad modum potentialem, sed ad iussivum, vel ut verius dicam ad futuri exacti indicativum referendum est: Luebb. I p. 92 sq. (cfr. V. Loch, Imperativ b. Plaut., Memel 1871).

Eodem pertinet Enn. fab. 223 Muell. *ego sapere opino esse optumum pro viribus: tacere et fabulari tute noveris.* Ceterum scriptura nequaquam certa est.

2. Ex potentiali genere non sunt talia enuntiata interrogativa, qualia sunt:

Plaut. Amph. 728 *Audivistin tu me narrare hodie haec?* || *Ubi ego audiverim?* Amph. 817 *Quid ego tibi deliqui, si quoi nupta sum tecum fui?* || *Tun mecum fueris?* Ter. Ad. 573 *Nostin porticum apud macellum hac deorsum?* || *Quid ni noverim?* Hec. 136 *Nocte illa prima virginem non attigit . . . .* || *Quid ais? cum virgine una adulescens cubuerit Plus potus, sese ille abstinere ut potuerit?*

His interrogationibus alterius dicta cum miratione, indignatione, dubitatione reiciuntur et refelluntur. Coniunctivo subest notio voluntatis: *ich soll gehört haben?* (scil. *nach deiner Meinung*)[1]. Haec autem notio nasci videtur ex

[1]) De hoc interrogationum genere imprimis exposuit Gust. Mueller, *Die sogenannten unwilligen und missbilligenden Fragen im Lat. (Görlitz 1875).* Qui tamen non attendit ad perfecti et imperfecti coni. discrimen. Equidem haec observavi: Perfecti coniunctivus ponitur, cum affirmatio vel interrogatio alterius reicitur *(Wo, meinst du, soll ich gehört haben?).* Qui vero alterius postulationem vel iussum

obliqua quadam relatione, de qua Lattmann[1]) ad Cic. ep. ad Quint. fr. 1, 3 (*ego te videre noluerim?*) haec scripsit: *Eine präsentische Deutung ist nicht möglich. Wir werden also annehmen müssen, dass in diesem . . . Satze der Coni. die oblique Reproduction der Worte des Quintus* tu me videre noluisti *bezeichnet, welche dann noch deutlicher wiedergegeben würde: „ich soll (wie du willst d. h. meinst) dich nicht haben sehen wollen?"*

3. Ter. Hec. 313 in antiquioribus editionibus secundum rec. Calliop. legebatur violato metro:

Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.

concluserit A; *concivisse* Donat.; *concivisse, ere* Bentl. prob. Fleckeis., Umpfenb., Dziatzkone.

Corruptionis causa posita videtur in coniunctione particulae *fortasse* cum infinitivo, quae structura offendit librarios (Holtze I. p. 265. 268.).

II. a. Enuntiata relativa.

'Attractio modorum' statuenda est:

Plaut. Mil. 20 *nihil hercle hoc quidemst Praeut alia dicam, tu quae numquam feceris.* Cfr. Brix. a. h. l. Aliter Lorenz: *weil in* quae *ein* quom *'obwohl' liegt.*

Com. inc. 83 Ribb.:

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Lucil. XXVIII, 24 M. (702 L.) *vitam ac fortunas cui concrediderim meas, Ne hoc faciat atque ex hac aerumna is exeat.*

Ad obliquam orationem versuum proxime antecedentium verbi modus assimilatus videtur:

Ter. Phorm. 365 *saepe interea mihi senex Narrabat se hunc neglegere cognatum suom: At quem virum! Quem ego viderim in vita optumum.*

---

refellere vult, utitur coniunctivo imperfecti (*quid interest, dare te in manus argentum amanti homini . . . ? || Non redderem?* Trin. 134). De hoc 'iussivo praeteriti' v. imprimis Umpfenbach Meletem. Plautina p. 48 sqq.

[1]) l. s. s. p. 25.

De hac 'modi attractione' v. Luebbert II. p. 130 [1]).

'Adversativa' vis (cfr. supra Mil. 20) relativae enuntiationi his locis inesse videtur:

Ter. Andr. 271 *Egon propter me illam decipi miseram sinam,.... Quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim?* Phorm. 917 *Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?*

Negativa loci sententia coniunctivi est causa:

Plaut. Men. 474 *Pro di immortales, quoi homini umquam uno die Boni dedistis plus, qui minus speraverit* [2])*?*

b. Cum particula temporali vel explicativa *quom* — quam per se apud priscos indicativum adsciscere scimus — modus potentialis his locis consociatus esse primo obtutu videtur:

Plaut. Most. 690 *Melius anno hoc mihi non fuit domi, Nec quom una esca me iuverit magis.*

Luebbert (II. p. 79) *iuverit* ad eam coni. speciem refert, quam nominat *freier Potentialis.* Sed recte Lorenz et Ritschl scribere videntur *quod.*

Ter. Haut. 1025 *Si umquam ullum fuit tempus, mater, quom ego voluptati tibi fuerim.*

Non cum Holtzio (II. p. 144) potentialem vim [3]) i. e. modestiorem loquendi modum agnosco: potius Terentianus sermo [4]) h. l. iam eandem dicendi rationem videtur

---

1) Fortasse tamen *viderim* h. l. est perfectum praesentiae (= *novi*); eandem rationem exstare puto Phorm. 590 *Ego hominem callidiorem vidi* (= *novi, scio*) *neminem*: conf. Lattm. l. s. s. p. 25 de Cic. Att. 3, 13, 2 (*ut* [= *wie*] *neminem umquam videris nec audieris*).

2) Plautus semper pariter ac Cicero praecedente enuntiato negativo pronomini relativo adiunxit coniunctivum. (Paetzolt Beitr. z. hist. Synt. d. l. Spr. Waldenburg. 1875). Conf. Draeger. II² p. 529.

3) Qui potentialem h. l. esse mavult, is animadvertat oportet, *quom . . . fuerim* pertinere ad protasin condicionalem, in qua coniunctivo perf. log. locus erat concessus (sententia fere est: *si umquam ullo tempore . . . fuerim*).

4) *„Mit Terenz tritt jedoch schon ein Schwanken ein, und der Coniunctiv beginnt dem Indicativ sein Gebiet streitig zu machen."* (Schmalz in Handb. d. kl. Altertumsw. II p. 348).

exhibere, quam optimos latinitatis auctores secutos esse scimus. Eodem enim modo in eiusmodi sententiis temporalibus coniunctivus ponitur atque in eis relativis enuntiatis, quibus qualis sit aliqua persona vel res significatur [1]).

c. 'Attractione modorum' ortus est coniunctivus cum particula *quam* sociatus:

Plaut. Most. 966 *Vide sis ne forte ad merendam quopiam devorteris, Atque ibi ne plus, quam satis fuerit, biberis.*

II.

In condicionali structura nonnumquam potentialis modus perfecti logici positus est.

I. Actio, quae verbo exprimitur, est vere absoluta et praeterita *(perf. praeteritum).*

a. Apodoseos nullum est exemplum.

b. Ad protasin exempla spectant haece [2]):

1. activi generis:

Plaut. Rud. 190 *Nam hoc mi hau sit labori laborem hunc potiri, Si me erga parentes aut deos impiarim.*

Mil. 21 *Periuriorem hoc hominem si quis viderit, Aut gloriarum pleniorem quam illic est, Me sibi habeto.*

Trin. 85 *si id non feceris Atque id tamen mihi lubeat suspicarier: Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?*

2. Verba deponentia habes his locis [3]):

Plaut. Most. 555 *dicam, si confessus sit*

Ter. Haut. 1035 *Non si ex capite sis meo Natus, . . . ea causa magis patiar, Clitipho, flagitiis tuis me infamem fieri.*

Plaut. Rud. 1380 *Cedo quicum habeam iudicem, Ni dolo*

---

1) Ceterum hoc exemplum (Haut. 1025) desideratur in tabulis a Lubberto l. s. s. p. 207 sqq. confectis.

2) Coni. interrogatione obliqua est effectus: Ter. Ad. 549 (*si . . . redierit, viso*) et Plaut. Cist. IIII 2, 10 (*Si quis vidit, si quis eam abstulerit*); (*si* = *num*).

3) Interrog. obl.: Truc. 736 *discant, dum mihi commentari liceat, ni oblitus siem.*

malo instipulatus sis, nive etiamdum hau siem Quinque et viginti annos natus[1]).

3. Passivum est obvium:

Ter. Andr. 276 *Haud verear, si in te sit solo situm.* Sane *situm* h. l. plane est pro adiectivo.

Hec. 330 *Si forte morbus amplior factus siet .... Servom ilico intro ivisse dicent Sostratae.*

Plaut. Mil. 189 *Si quidem centiens hic visa sit, tamen infitias eat.*

II. Perfectum quod dicitur praesentiae occurrit:

a. in apodosi perpaucis locis:

1. Nonnumquam leguntur formulae quae sunt: *perierim, -int, actum sit*[2]). Sane illis locis verbi actio ad futurum tempus spectat: cuius tamen rei causa sita est in eo, quod illae locutiones plane in praesentis naturam abierunt[3]).

Plaut. Rud. 978 *si istuc ius sit . . . piscatores perierint.*

Truc. 707 *si non peream, plane perierim*[4]).

Ter. Haut. 316 *Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.*

Haut. 456 *quod si iterum mihi sit danda, actum siet.*

2. Plaut. Trin. 950 sqq. *nunc si forte eumpse Charmidem conspexeris . . . noverisne hominem?*[5])

b. In protasi paulo saepius perfecti logici coniunctivus legitur:

Plaut. Men. 503 *Non negem, si noverim.*

---

1) Notandum est ad exempla passivi generis referri posse etiam verbum *nasci* (= *geboren werden*).

2) Futur. ex. cognosco in Mil. v. 297 (*perieris, disperieris*).

3) Coniunctivus igitur, secundum praesentis naturam, rem imminentem (s. futuram) cogitatione sumptam significat. Nimirum nullo pacto de ‘aoristo’ quodam tempore in his quidem formis cogitari potest.

4) Sic Goeller et Schoell, *uriem* B *urient* DC.

5) Ad futurum exactum spectant Ter. Andr. prol. 10 *(Qui utram vis recte norit, ambas noverit),* Phorm. 265 *(Unum quom noris* [sic A, *cognoris* rec. Call.], *omnes noris.)*

Poen. IV, 2, 55 (877) *Animum inducam facile, ut tibi istuc credam, ni te n o v e r i m.*

Bacch. 678 *Pol tu quam nunc med accuses magis, si magis rem n o v e r i s.*

Ter. Andr. 914 *si hunc n o r i s satis, non ita arbitrere.*

Andr. 652 *Haud istuc dicas, si c o g n o r i s vel me vel amorem meum.*

Lucil. 723 L. *cum c o g n o r i s, vitam sine cura exigas.*

Fortasse huc pertinet: Cat. p. 36, 9 Iord. *Recto fronte ceteros sequi si n o r i t*[1]).

Denique de Trinummi v. 538 *magis id dicas, si omnia ex me a u d i v e r i s* (= *scias*) vide infra B. §. 3.

B. De 'perfecti historici' coniunctivo potentiali.

§. 1.

Quaedam praemittuntur.

Ut perfecti historici (sive 'aoristi'[2])) modus potentialis admodum angustis finibus apud priscos continetur, sic ne vis quidem ac natura eius omni ex parte congruit cum vulgari inferioris aetatis significatione. Nam cum inde a Ciceronis fere aetate potentialis *r* littera fictus eodem munere fungatur, qua priscae formae sibilantes, [velut *haud negassim* (Asin. 503) prorsus idem videtur esse ac *non negarim* (apud Varronem r. r. 2, 11)] — non item rem se habere videmus apud antiquiores scriptores. Quibus, cum ad illam temporis 'aoristi' (brevitatis causa condono mihi hoc vocabulum) notionem signandam breviores formae praesto essent, pleniores alium in usum convertere licuit. Utebantur enim illis formis duplicem et praeteriti et futuri notionem complectentibus i n e n u n t i a t i s c o n d i c i o n a l i b u s pro potentiali modo f u t u r i e x a c t i: in p r o t a s i quidem ad 'praeteritum in futuro' modestiore modo significandum, in apodosi autem variis notionibus, quae futuri exacti in p r i s c a potissimum latinitate

1) Deest apodosis.

2) V. supra p. 2 sqq.

sunt propriae. Haec infra accuratius exponenda et probanda erunt.

Ubi contra apud inferioris aetatis scriptores in condicionalibus rectae orationis enuntiatis potentialis historici (s. aoristi) perfecti fit obviam, ibi plerumque, si quid video, non idem valet atque apud priscos Latinos; potius est (non aliter atque extra hypothesin) pro praesentis coniunctivo, velut Liv. 26, 49, 3 *scorpiones . . . ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum*[1]).

Hoc unum excipiendum videtur[2]): perfecti coniunctivus futuri II. notionem etiam posteriore aetate induit in sententiis exempli gratia cogitatione fictis vel in consuetudinis alicuius descriptione vel in generalibus praeceptis experientia usuque probatis: omnino fere ubi incertum et generale est subiectum, sive id exprimitur per secundam sing. personam, sive pronomine indefinito *quis, qui*, sive (licet raro id fiat) tertia pluralis persona incertam personarum multitudinem complectente sive denique aliquo nomine appellativo. Pro condicionalibus particulis interdum ponuntur *cum* (= *quando*) et *ubi*[3]).

Praecipue autem ille usus ad protasin pertinet: Cic. n. d. 2 §. 17 *an vero si domum magnam videris, non possis adduci, ut* e. q. s.[4])

Cic. off. III, 24 (92) *si quis medicamentum cuipiam dederit . . . . si eo m. sanus factus sit, et annis aliquot*

---

[1]) Non obstant ei loci, ubi de eventu fructuque futuro rei iam actae aliquis loquitur, quandoquidem ipsa verbi actio est praeterita (non futura), velut Liv. 6, 14, 4: *tum vero ego nequiquam . . Capitolium servaverim, si civem . . . in servitutem ac vincula duci videam* (licet igitur de prospero facti eventu nondum constet, ipsa tamen *servandi* actio iam est praeterita).

[2]) Dico hic de classica quae vocatur latinitate; de poetarum usu v. infra.

[3]) Conf. Meiring, Lat. Gramm.[6] §. 644 adnot. 1.

[4]) V. Draeger[2] II p. 717 (§. 547) sqq., qui tamen ea exempla ad perfectum logicum refert: quode conf. infra p. 31.

post inciderit in eundem morbum, ... quid faciendum sit [1]).

Cic. or. Catil. 1 §. 31 *si aquam gelidam biberint* [2]), *primo relevari videntur.*

Sall. Cat. 52, 29 *ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequiquam deos implores.*

Perraro in utroque membro perfecti coniunctivus pro futuri exacti coniunctivo positus est:

Cic. fin. 2 §. 59 *si scieris aspidem occulte latere uspiam . . . improbe feceris, nisi monueris.*

An h. l. futuri ex. indicativum agnoscamus?

Conf. Cic. ad fam. 10, 4, 3 *omnia viceris, si, ut spero, te validum videro;* Att. 2, 24, 5 *respiraro, si te videro* [3]).

Ceterum ad hoc quoque genus valere putaverim, quod Madvig l. s. s. p. 101 iudicavit, veteres ipsos *non semper certo sensu tempora distinxisse, ut praecise ipsi dicere pos-*

---

[1]) In Cic. de off. libris omnino frequentes sunt eiusmodi enuntiationes.

[2]) Draeger II p. 719 h. l. adlato addit: *Mehr Stellen* (sc. perf. coni. cum praesentis indicativo copulati) *aus Cicero sind mir nicht bekannt.* Equidem (si abhorres a facili mutatione in *biberunt*) fut. ex. indicativum h. l. praefero. Quae temporum (fut II. et praes.) coniunctio apud Plautum quidem et Terentium non ita raro obvia (Rothh. l. s. s. p. 31, Liebig l. s. s. p. 14) legitur etiam apud Cornificium 3 §. 34 *haec tum valet, si exsuscitaverimus*; duo Liviana exempla v. ap. Draeger II p. 714. Eodem referendum Cic. off. II 20 (§. 70) *si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo . . . manet gratia.* Quem locum Krueger Lat. Sprachl. p. 870 §. 838 not. 3 ad perf. coni. pertinere falso iudicavit, in errorem inlectus regula perperam ficta: *So kann* [defenderis] *nur der Perf. Coni. sein, wegen des Praes. im Hauptsatz.*

[3]) Draeger I p. 283 sq. (§. 138.). De futuro II. hoc modo posito v. imprimis Madvig. l. s. s. p. 84. — In aliis praeter adlata enuntiandi generibus perfecti coniunctivus futuri II. partes sustinere non videtur (nisi ubi obliqua orationis implicatio requirit fut. II. coniunctivum). Nam huc non pertinent quaedam enuntiata a particulis *priusquam* et *antequam* incipientia, quae enotata invenies apud Draeger. II p. 623 sq. (§. 512): Plaut. Merc. 155, quem versum Draeger sic citat: *iam pr. qu. eloquutus sim, scias, si mentiri velim,* in novissima Goetzii editione legitur ita:

sent, ubi pro futuro exacto, ubi pro perfecto [illam coni. formam] *ponerent.*

Quodsi apud Ciceronem[1]) perfecti coniunctivus futuri II. vice fungens[2]) in recta oratione artissimis vinculis est constrictus, paulo tamen longius eius usus fines protulerunt epici et elegiarum poetae atque argenteae aetatis scriptores[3]), ita ut interdum priscam fere rationem revocarent.

Conf. Verg. Aen. XII, 40 sq.: *Quid consanguinei, quid cetera dicet Italia, ad mortem si te (fors dicta refutet!) prodiderim?* Catull. 79, 3 *sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum, Si tria notorum savia reppererit.*

Contra nemo ignorat etiam in optima latinitate prorsus legitime poni perfecti coniunctivum pro futuro II. in enuntiatis dupliciter subiunctis[4]). Sed cum Draeger (I.

---

elocutus sum . . . scis . . . volo (*sim* Ritschl secundum ZF); Poen. IIII, 2, 86 *pr. disperibit faxo quam . . . civerit* fut. ex. indic. cognosco (conf. Bacch. 921 *pr. qu. convenero.* Epid. 304 *pr. qu. venero*); idem tempus habemus Liv. 5, 4, 10. Logicum autem perfectum (i. e. vere praeteritum) statuendum est in sententiis quibusdam generatim dictis (Tac. Germ. 13 et ann. 15, 74. Cic. inv. 2 §. 160). Denique ap. Caes. bell. gall. 3, 18 (*non pr. dimittunt qu. ab his sit concessum*) coni. perfecti (pro plusquamperfecto) positus est propter praesens historicum (= *non dimiserunt pr. qu. esset concessum*). Cetera exempla l. c. a Draegero proposita obliquae sunt orationis.

1) Fortasse eximendae sunt Ciceronis epistulae.

2) Quin etiam pro praesentis coniunctivo perraro Cicero perfecti potentialem in condicionalibus enuntiatis usurpavit: Atque in protasi quidem nescio an nullum exstet exemplum. Apodoseos hoc praesto est exemplum: Tusc. 29 §. 82 *impetrarim libenter, nisi molestum sit* (ubi eo facilius poterat usurpari hic modus, quo propius protasis ad urbanitatis quandam formulam, quam ad veram condicionem accedit.)

3) A. Mansfeld, De enuntiatorum condit. apud eleg. poet. Lat. formatione (Hal. Sax. 1879), M. Morgenroth, De condic. sent. ap. Tac. form. (Lips. 1868), J. O. Klintberg, De form. enunc. cond. ap. Tac. (Upsal. 1877).

4) Exigente temporum consecutione plusquamperfectum ponitur: quode imprimis v. Madvig. l. s. s. p. 101, Kühner Lat. Gr. II p. 771 not. 3; exemplorum copia ap. Neue Lat. Formenl.[2] II p. 349 sqq.

p. 292 §. 141) perverse sic statuat: *Die ersten Spuren davon finden sich bei Terenz,* non ab re duco pauca Plautina exempla hic proferre.

Incipiunt autem illius modi enuntiata secundaria plerumque a particulis condicionalibus et temporalibus (*si, ubi, cum, priusquam* simil.), rarius a particulis *ut* et *ne.* Ac pendent ea enuntiata

a. ex infinitivo (plerumque futuri) cum accusativo copulato,
b. ex simplici infinitivo (in unum incidi exemplum),
c. ex coniunctivo relativo i. e. non per se stante, sed effecto per particulas vel interrogatione obliqua vel alia orationis implicatione.

a. Plaut. Trin. 695 *te dictatorem censes fore, si aps te acceperim* [agrum].

Epid. 70 *Quia patrem prius convenire se non volt, . . . Quam id argentum . . . dinumeraverit.*

Bacch. 173 *veneroque te, Ne Nicobulum me sinas nostrum senem Prius convenire, quam sodalem viderim.*

b. Plaut. Mil. 1096 *nam nullo pacto potest Prius haec in aedes recipi, quam illam amiserim.*

c. Plaut. Men. 1044 *dicam, ut a med abeat liber quo volet, Ne tum, quando sanus factus sit, a me argentum petat.*

Trin. 609 *id agis, ut ubi adfinitatem inter nos nostram astrinxeris, Atque eum agrum dederis nec quicquam hic tibi sit*[1]*), qui vitam colas, Ecfugias e. q. s.*

Adde haec Terentiana:

Ter. Eun. 140 *Ait, si . . . non id metuat, ne, ubi acceperim, Sese relinquam, velle se illam mihi dare.*

Haut. 854 *illum aiunt velle uxorem, ut quom desponderim, Des qui aurum ac vestem . . . comparet.*

---

[1]) Hic coniunctivus evincit etiam antecedentes formas ad eundem modum esse referendas.

§. 2.
De activi perfecti coniunctivo in primario enuntiato condicionali posito.

In memoriam revocemus oportet, quam late apud priscos scriptores futuri exacti usus pateat et quam usitatae Plautina Terentianaque aetate variae huius usus species fuerint, quae postea partim plane evanuerunt, partim angustioribus finibus sunt circumscriptae. Qua de re post alios (velut Lindemannum et Matthiaeum) accuratissime exposuit Madvig loco saepe laudato p. 89 sqq.[1] Ad nostram rem maxime pertinent hae species.

1. Significatur futuro II. rei alicuius effectus in ipsa re ita inclusus ut simul cum ea futurus sit[2]. Pseud. 512 *si abstulerit, mirum et magnum facinus fecerit.*
2. Vivida imaginatione res futura iam pro absoluta sumitur: quo celeris et certae perfectionis nota actioni verbo expressae imprimitur. Haec notio est omnium usitatissima et vulgatissima[3].
3. Animadvertendum sane est pro futuro exacto in omnibus illius modi enuntiatis poni posse futurum simplex[4]. Quare saepe utriusque temporis formae promiscue usurpatae sunt (exempla multa ap. Madv. p. 93. not.). Sunt tamen certae futuri exacti formae,

---

1) Conf. Lorenz ad Most.² vv. 590. 687. 1039. Praeterea vide Thomas (La syntaxe du futur passé dans Térence), rev. de l'instruction publ. belge 1876 p. 365 sqq., 1878 p. 17 sqq.; Meifart, De futuri ex. usu Plaut. (Jenae 1885).

2) V. Madv. p. 84 sqq — Ceterum hic usus ne a Cicerone quidem alienus est: fam. 11, 4 *quod cum facies, ex magna parte communi commodo inservieris.*

3) Conf. etiam Brix ad Capt. v. 290, Spengel Ter. Andr. 381. Ad. 602, Dziatzko Ter. Phorm. 426, Haasii ad Reisig. schol. lat. adnot. 455.

4) Conf. Meifart l. s. s. p. 15 sqq.

quae praeter ceteras pro futuro simplici usurpantur, e. g. *fecero, dedero;* v. Draeger. I. p. 284.

Eaedem autem notiones, quas futuri exacti esse diximus, apud priscos scriptores nonnumquam, si quid video, perfecti coniunctivo in *-rim* desinenti sunt subiectae[1]).

Sane parvus est exemplorum numerus: nec id mirum. Etenim antiquissimi Romani, qua erant simplicitate et gravitate, ingenue ac libere, non superflua quadam haesitatione (quae quidem est in potentiali modo conspicua) res semel pro veris et quasi iam perfectis positas eloqui consuerant. Nec casu fortasse factum est, quod plerisque locis servi locuntur: ni mirum et animo et condicioni servili maxime conveniebat eiusmodi loquendi ratio submissior et humilior.

Iam exemplis enumerandis rem illustremus. Priore loco ponemus eas formas, praeter quas etiam breviatae aut traditae sunt aut formari possunt[2]).

I. Poen. IIII, 2, 63 (885) *Si erus meus me esse elocutum quoiquam mortalei sciat: Continuo is me ex Syncerasto Crurifragium fecerit*[3]).

Scire h. l. = *rescire*, velut Ter. Andr. 414, Plaut. Cist. II, 1, 40; sententia igitur subest: *Wenn der Herr erfahren sollte . . . so wird er mich wohl gleich zu einem Crurifragius machen*[4]). Manifesta autem est hoc loco celeris perfectionis notio, quae etiam acuitur addita voce *continuo.* Ceterum

---

1) Hac ipsa dicendi proprietate Madvigium aliqua ex parte commotum esse puto, ut de proprio *coniunctivo futuri exacti* statuendo cogitaret.

2) Fut. ex. indic. agnoscere praestat: Enn. fab. 189 Muell. *Haec tu etsi perverse dices, facile Achivos flexeris.*

3) Comparare licet Bacch. 361 sq. *Credo hercle adveniens nomen mutabit mihi Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrusalo.*

4) Quam facile coniunctivum qui est *fecerit* cum futuri II. indicativo aliquis confundere possit, clare ex eo perspicitur, quod Holtze hoc exemplum modo ad futuri II indicativum (II p. 88), modo ad potentialem perfecti (II p. 141) refert. (Draeger II p. 716 coniunctivum agnoscit.)

forma quae est *fecero* est ex eis, quae studio quodam a comicis usurpabantur: e. g. Ter. Andr. 397. Phorm. 426. 430[1]); coniuncta est cum futuro I.: Eun. 723 (*exsolves et feceris*).

II. Poen. IIII, 2, 106 (928) *remora*[2]) *si sit, qui malam rem mihi det, merito fecerit.* Verisimile est a Plauto alienos esse eius scaenae vv. 101—107[3]). Sed utut res se habet, ne hoc quidem exemplum abhorret a Plautino more: *merito fecerit* significat, qualis illa puniendi actio *cum perfecta fuerit, apparitura sit* (Madv. p. 84.). Habemus igitur h. l. exemplum effectus rei in ipsa re inclusi.

Prorsus ad eandem futuri exacti speciem pertinent duo proxima exempla:

III. Cas. II, 7, 1 sqq. *Si nunc suspendam me, meam operam luserim Et praeter operam restim sumptifecerim Meisque inimicis voluptatem creaverim.*

IIII. Titin. 120 Ribb. *Vidistin Tiberim?* || *Vidi: qui illam derivet, beaverit Agrum Setinum.*

Qui = si quis. Ad indicativum modum si sententiam redigimus, habemus: *Wenn Jemand d. T. ableitet, so wird er damit die Feldmark Setias beglückt haben.*

V. Quibus exemplis addendus est locus Pacuvianus, cuius tamen verba non sunt sana:

Pacuv. 12 Ribb. *sol si perpetuo siet, Flammeo vapore torrens terrae fetum exusserit, Nocti ni interveniat, fructus per pruinam obriguerint.*

Sic scripsit Ribbeck verborum ambitu ex diversis fontibus coniectando consuto. Vox quae est *obriguerint* tra-

---

1) Conf. Draeger I 284, Meifart l. s. s. p. 4 sq.

2) De vocis quae est *remora* notione v. Langen l. s. s. p. 169 sqq.

3) Hasper, De Poen. Pl. dupl. exitu p. 28, Goetz, Acta soc. phil. Lips. VI, 253. Poenulum fabulam omnino praeter ceteras duplicis recensionis vestigia exhibere constat.

dita est a Varrone de l. l. VI, 6 p. 74 M.; *exusserit* autem Ribbeckii coniecturae debetur Ceterum exstat, quod fugit Ribbeckium, simillimus locus apud Ciceronem d. nat. deor. 1, 10, 24 *atqui terrae maximas regiones inhabitabiles atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu.* Sed numquid communis vinculi intersit inter duos locos, nunc diiudicare non ausim.

Formis autem *exusserit* et *obriguerint* pro genuinis sumptis habes hic eandem futurae rei cito certoque ad exitum perductae, qua quem primo loco posuimus versus est conspicuus [1]).

Quibus locis cur formae *s* littera fictae poni non debuerint, infra videbimus. Pacuvianus autem ille locus, ubi altera forma *(obriguerint)* breviorem formam non admittit, nos ducit ad duo reliqua exempla proponenda, quorum verba breviatis formis carent.

VI. Plaut. Epid. 258 *Si aequom siet, Me plus sapere quam vos, dederim vobis consilium catum.*

Epidicus servus statim promptum et paratum fore callidum consilium per indicativum modum futuri II. confirmare sane cupiebat; sed propter simulatam erga erum eiusque amicum reverentiam modestiore coniunctivo modo petulantiam suam quasi compescuit. Ceterum futurum II. *dedero* est ex eis formis, quae praeter alias probatae erant comicis; conf. formulam *sic dedero:* Asin. 439, Poen. V, 5, 7; Pers. 292 (*specta quid dedero* [2])), Most. 1152 (*dederis* [3])).

VII. Ter. Hec. 424 *denique hercle aufugerim Potius quam redeam, si mihi redeundum sciam.*

---

[1]) His locis meo quidem iudicio accedit Plaut Truc. v. 349, quem locum tractabimus infra §. 5.

[2]) Fut. I. in simillima sententia legitur Plaut. Men. 472 *(observa quid dabo).*

[3]) Conf. Lorenz a. h. l.

Similis est locus Plaut. Bacch. 363 *Aufugero hercle, si magis usus venerit.*

Ut *fecero, dedero* sic etiam verborum eundi futurum II. valde placuit comicis: conf. e. g. Bacch. 213 (*immo hercle abiero potius*), Ter. Ad. 127 (*ah, si pergis, abiero*[1])).

Praeterea in antiquioribus editionibus ferebatur hoc exemplum[2]): Plaut. Pseud. 376: *Si tu argentum attuleris, tecum perdiderim fidem.* Ubi iam dudum secundum librorum fidem restitutum est: *perdidero.*

§. 3.

De activi perfecti coniunctivi usu in secundariis enuntiatis condicionalibus.

Futurum exactum relativum i. e. 'praeteritum in futuro'[3]) pro natura sua praecipuum locum habet in illis enuntiatis secundariis, quibus primarii tempus ratioque definitur. Quam ob rem hoc futuri II. genus saepissime obvium est in protasi condicionali. Nam quoniam protasis et apodosis plerumque in ea relatione sunt positae, ut illa causa vel antecedens, haec effectum vel consequens contineat, Latinis severius rationem logicam tenentibus futurum II. admodum acceptum fuisse consentaneum est, ubi futuram condicionem actioni primarii enuntiati antecedere significare vellent.

Cui tempori cum coniunctivus deesset, in eius locum priscis videbatur commode substitui perfecti coniunctivus per

---

1) Conf. Draeger I p. 284, Meifart. p. 4 sqq.

2) Etiam a Madvigio l. s. s. p. 100 adlatum.

3) Quae notio manavit ex temporis futuri absoluti ratione: nam princeps ac propria futuri exacti notio est ea, qua significatur actio futuro tempore perfecta ratione alius actionis vel temporis non habita: Luebbert. I p. 81; conf. p. 98 sq.: *Jedenfalls ist die Vorhersage ohne Rücksicht auf die Zeit einer andern Handlung die ursprünglichere. Der Bedeutungskern des futurum exactum ist der, dass es das vollendete Sein in die Zukunft verlegt. Die Zeitlage der Handlung vor einer andern ist etwas später Hinzukommendes.*

litteram *r* fictus[1]), quippe qui non modo ad futurum tempus (sicut modi 'aoristi'), sed etiam ad praeteritum spectaret.

Ad exempla enumeranda priusquam aggrediar, memorandum est permultos locos ita esse comparatos, ut vix discernere possis, utrum ad coniunctivum perfecti, an ad futuri exacti indicativum sint referenda; nam ex ipsa sententiarum ratione raro certi aliquid elici potest: conf. tamen quae statuit Langen l. s. s. p. 47 sq.

Primum autem enotabo ea exempla, quibus sententia generalis vel praeceptum apud omnes valens continetur: in eiusmodi enim enuntiatis fortasse logicum perfectum agnoscere praestat.

Plaut. Aul. 380 *festo die si quid prodegeris, Profesto egere liceat, nisi peperceris.*

Trin. 347 *Bene si amico feceris, Ne pigeat fecisse, ut potius pudeat, si non feceris.*

Trin. 1050 *Si quoi mutuom quid dederis, fit pro proprio perditum*[2]).

Cato d. agric. V, 1 *Cui* (= si cui) *iussus siet, auscultet.*

Cato d. agric. V, 3 *Si quis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet.*

Varr. r. r. 1, 44 *itaque si florem decerpseris, in eodem loco nihil renascitur.*

Varr. ib. 1, 66 *Oleas albas . . novas si promas, nisi condieris, propter amaritudinem respuit palatum.*

Cetera exempla distribuam in duas partes. Ac priore loco enumerabo eas formas, quibus respondent formae *s* littera fictae[3]).

---

1) Formae futuri per *s* litt. ficti quamquam et ipsae (excepta prima persona sing.) in solis enuntiatis condicione qualicumque adstrictis usurpabantur, tamen angustius patebant: Luebb. l. p. 82 sqq.

2) Fortasse huc pertinet etiam Truccul. v. 37: *Si inierit rete piscis, ne effugiat, cavet.* Sic Buecheler, *Siniecit* B.

3) Quo rettuli etiam *offenderis, -it,* quia exstat forma analoga *incensit* (Fest. 107, 20).

I.

Plaut. Asin. 764 *ni in quadriduo Abalienarit*[1], *quo ex argentum acceperit, Tuos arbitratus sit*[2].

Capt. 599 *Quid ais? quid si hunc conprehendi iusserim*[3]?

Asin. 803 *Tum si coronas serta unguenta iusserit, Ancillam Veneri deferre aut Cupidini, Tuos servos servet, Venerine eas det an viro.*

Asin. 878 *Possis, si forte adcubantem tuom virom conspexeris, Cum corona amplexum amicam si videas*[4], *cognoscere?*

---

1) Alia forma in *-arit* est apud Lucil. 673 L.: *Lucilium si amore inritarit sua.* Sed cum desit apodosis, modus cognosci nequit.

2) Hoc loco aeque atque Asin. 782. 800. 803. 806 coniunctivum esse statuendum docet praesentis coniunctivus qui est in vv. 770, 794; cf. vv. 764, 785.

3) Hoc solo loco exstat prima persona coniunctivi perfecti cum formula *Quid si* coniuncta. Quanto opere *iusserim* ad futuri exacti vim accedat, cognoscere licet ex duobus similibus locis, ubi indicativus futuri exacti est positus: Pseud. 514 *Quid si abstulero?* Rud. 721 *Quid si attigero?* Tertius accedit locus dubius: Asin. 720 *Quid si optaro?* Quod cum sit unicum exemplum formae *-aro* in prisca latinitate, Luebbert I p. 6 suspicatur *optasso*, p. 78 autem proponit *optabo* collato Merc. v. 506. Praeterea legitur Rud. 472 *Quid si abstulerit?* et Cas. II, 5, 37 *Quid si evenerit?* Quibus de locis nihil certi iudicari potest; nisi quod incerta et, ut ita dicam, dubitativa sententiarum ratione coniunctivus modus indicari videtur. — Ceteris locis *Quid si* consociatur cum futuri I. indicativo, praesentis coniunctivo, praesentis indicativo: v. Brix. ad Capt. 599. Cuius exemplis adde: Cas. 674 *Quid etiam si occentem?* Merc. 564 *Quid si visam?* 578. Poen. III 3, 95 (707) Rud. 1312.

4) Praesens *videas* iuxta praeteritum in futuro *conspexeris* nullam habet dubitationem: nam *video* (= ich betrachte) id, quod *conspexi* (= es ist mir vor Augen gekommen). Eiusmodi temporum coniunctio non modo optime convenit cum Plautina neglegentia (cf. Trin. 468), sed occurrit etiam apud alios poetas: Ovid. Metam. VI, 180 sq. *In quamcumque domus adverti lumina partem, inmensae spectantur opes.* Ceterum cum *conspexi* fere id sit quod *video,* fortasse hic perfecti praesentiae exemplum habemus.

Asin. 800 *Si dixerit, Haec multa ei esto.*

Asin. 806 *Si forte pure velle habere dixerit, Tot noctes reddat spurcas, quot pure habuerit.*

Trin. 692 *haec famigeratio Te honestet me conlutulentet, si sine dote duxeris.*

Bacch. 310 *Ne ille hercle mihi sit multo tanto carior, Si med ille auro tanto circumduxerit.*

Lucr. III, 845 *Nec si materiem nostram collegerit aetas Post obitum rursumque redegerit*[1]) *ut sita nunc est . . . Pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum.*

Plaut. Mil. 1362 *si forte liber fieri occeperim*[2]), *Mittam nuntium ad te.*

Ter. Eun. 861 *debeam, credo, isti quicquam furcifero, si id fecerim.*

Men. 163 *Ecquid de odore possis, si quid forte olfeceris, Facere coniecturam?*

Plaut. Pers. 285 *Non hercle si os perciderim*[3]) *tibi, metuam morticine.*

Lucr. IIII, 1172 *Quem si iam iussu venientem offenderit aura Una modo, causas abeundi quaerat honestas.*

Ad praesentiae perfectum fortasse referendum est hoc exemplum:

Plaut. Trin. 538 *magis id dicas, si omnia ex me audiveris*[4]).

Audivi h l. idem fere est atque *scio*; conf. Plaut. Mil. 1429 (*magis id dicas, si scias, quod ego scio*), Ter. Eun. 355.

---

1) Conf. formas *transaxim, adaxint.* Dubitari potest de forma *collegerit.* Sed ex eis quae sunt *dilexi intellexi neglexi* colligere possis etiam cetera verba composita antiquitus habuisse formam sibilantem.

2) Potest tamen etiam ex 'attractione modorum' coniunctivus ortus esse; nam totus locus sic legitur: *Quaeso ut memineris: si forte . . . nuntium ad te: ne me deseras.*

3) Conf. formam *occisit* (coni. perf.): leg. XII tab. fr. VIII, 11 Schoell.

4) Minus recte Draeger II p. 714 agnoscit futurum exactum.

II.

Exempla alterius classis sunt haec:

Plaut. Bacch. 1102 *ego, si alibi Plus perdiderim, minus aegre habeam minusque id mihi damno ducam.*

Turpil. 26 Ribb. *Nam si iceris me posthac, credas mihi velim.*

Amph. 155 *Quid faciam, si nunc tres viri me in carcerem compegerint*[1]).

Truc. 344 *Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas Magna atque luculenta, nunc postquam scio Dulce atque amarum quid sit ex pecunia: Ita ego edepol servem illam itaque parce victitem . . .*

Pompon. 63 Ribb. *Quid futurum est, si pol hanc ego discere artem attenderim?*

Plaut. Asin. 231 *Si alius ad me prius* [viginti minas] *attulerit, tu vale*[2]).

[Rud. 472 *Set autem quid si hanc hinc apstulerit quispiam Sacram urnam Veneris? mi exhibeat negotium*[3])].

Stich. 770 *Si istoc me vorsu viceris, alio me provocato.*

Turpil. 26 Ribb. *Nam si iceris me posthac, credas mihi velim.*

Plaut. Poen. I, 1, 19 (147) *Si auctoritatem postea defugeris, Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.*

---

1) Exstat sane perfectum sibilans *panxi,* sed in compositis verbis ea forma numquam invenitur (cf. Neue[2] II p. 474).

2) Hunc locum Draeger II p. 713 ad fut. II. indicativum refert; sed coniunctivum cum Rothh. praefero, quia sententia subest: *wenn Jemand . . . sollte;* non enim exspectatur vere aliquem prius venturum esse. Conf. Pseud. 1070 *roga me viginti minas, ille hodie si illa sit potitus muliere sive eam . . . dabit* (de *dabit* neglegenter adiuncto v. Lorenz ad h. l.)

3) Vide supra notam ad Capt. 599.

Ter. Haut. 316 *Ubi si paululum modo quid te fugerit, ego perierim.*

Plaut. Rud. 476 *Nempe optumo me iure in vinclis enicet Magistratus, si quis me hanc habere viderit.*

Trin. 468 *Quid? nunc si in aedem ad cenam veneris Atque ibi opulentus tibi par forte obvenerit: Adposita cena sit, popularem quam vocant: Si illi congestae sint epulae a cluentibus, Siquid tibi placeat*[1]) *quod illi congestum siet, Edisne an incenatus cum opulento accubes?*

Asin. 370 *Ego illam interea hic oblectabo, prius si forte advenerit.*

[Cas. II, 5, 37 *Quid si sors aliter, quam voles, evenerit?*] [2])

Merc. 651 *Jam inde porro aufugies? deinde item illinc, si idem evenerit*[3])*?*

Aul. 610 *Edepol ne illic pulchram praedam agat, si quis illam invenerit.*

Merc. 518 *Possin tu, sei ussus venerit, subtemen tenue nere?*

Cist. I, 2, 28 *si quid usus venerit, meminisse ego hanc rem vos volo*[4]).

---

1) Praesens *placeat* nihil miri habet: *placet* mihi alicubi aliquid, postquam eo veni (= adsum). Fortasse *veneris* et *obvenerit* h. l. sunt perfecta praesentiae. — Versus 470 sq. e glossemate natos esse censet Ritschl.

2) Vide supra notam ad Capt. 599.

3) i. e. *si ibi quam amare occipias atque item eius sit inopia* (v. 650): *evenerit* igitur, cum aliis coniunctivis respondeat, et ipsum coniunctivum esse puto.

4) Quamquam apodosis indicativum exhibet, tamen non offendendum est in hoc exemplo, cum *meminisse volo* idem valeat atque iussivus modus *memineritis*. Quare etiam Langen (l. s. s. p. 162) perf. coni. agnoscere videtur, cum vertat: *wenn etwa die Nothwendigkeit eintreten sollte.* Contra indicativus futuri II. sine dubio agnoscendus est in Pl. Bacch. v. 363. *Aufugero hercle si magis usus venerit.* Temporales quidem particulae in eiusmodi locutionibus futurum primum plerumque

Ter. Ad. 895 *si quid usus* venerit, *lubens bene faxim.*
[Cat. de agr. IV *si quid (bona salute) usus* venerit, *benigne defendent.*]

Simili modo *evenerit* positum est:

Ter. Haut. 550 *At heus tu, facito dum eadem haec memineris, Si quid huius simile forte aliquando* evenerit. . . .
Afran. 6 Ribb. *Adeste, si hic absente nobis* vaenierit *puer.*
Plaut. Aul. 344 *Ibi si* perierit *quippiam, . . . Dicant: coqui abstulerunt.*
Cat. orig. l. V p. 24, 9 sqq. Iord. *si quis illud facere* voluerit[1]), *mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere* voluerit, *tanta poena esto; si quis . . .* voluerit, *tantum damnas esto.*
Lucil. XXVII, 32 M. *quodsi paulisper captare atque observare haec* volueris, *Rem cognoscas simul et dictis animum adtendas postulo.*
Varr. r. r. II, 7, 2 *Horum equorum et equarum greges qui habere* voluerint *. . . primum spectare oportet aetatem.*
Plaut. Asin. 116 *Audin tu? apud Archibulum ego ero argentarium.* || *Nempe in foro?* || *Ibi, si quid opus* fuerit.
Asin. 782 *si magis religiosa* fuerit, *Tibi dicat*[2])?

---

adsciscere videntur: Poen. III, 4, 17 *quom usus veniet* Stich. 475 *quando usus veniet.* Tamen etiam fut. II. invenitur: Ter. Haut. 557 *de istoc quom usus venerit, videbimus, quid opus sit.* Contra in versu proxime antecedente (556) cum *si* particula iunctus est praesentis coniunctivus: *Et ne ego te, si usus veniat, magnifice, Chremes, tractare possim.* Idem modus orationis implicationi deberi videtur: Mil. 3 *ut, ubi usus veniat, contra conserta manu praestringat oculorum aciem.*

1) De notione futuri II. indicativi *voluero (potuero* simil.) v. imprim. Madvig. l. s. s. p. 83 not. Eandem fere notionem hic adsciscit perfecti coniunctivus (nisi omnino indicativus fut. II. hoc ipso loco agnoscendus est).

2) Sat multa exempla, quae Rothh. nomine perfecti coniunctivi adfert, meo quidem iudicio ad futuri II. indicativum pertinent. Sunt haec: Plaut. Asin. 94, Asin. 153, Cist. II 1, 52, Curc. 85. 555. Mil. 604 (cf. Müller Plautin. Pros. p. 136 not.), Merc. 662, Poen. ed. Gepp. 210. 292. 1197.

Quodsi apud priscos tam constanter perfecti coniunctivus in protasi prope ad futuri exacti significationem accedit, ad communem normam redigendum erit hoc exemplum ex coniectura ortum:

Lucil. 1075 sqq. Lachm. *Id me scire volo dici, mihi conscius ut sim, Ne damnum faciam, scire hoc si nesciar et me Id nisi scire alios s c i e r i m scire.*

Hoc loco *scierim* positum videtur pro *sciam*. Codd. praebent: *nisi alios id scire te scierit;* L. Mueller coniecit (p. 141, 72 sq.): *moechum scire volo. — dicemus: consciu' sum mi; at ne dampnum faciam, scire hoc sibi n e s c i a t is me.* Ex ipsa comparatione harum lectionum intellegas, quam incerta sit huius loci instaurandi ratio.

Trin. 157. 423. 561. (Rothh. p. 46). De his tamen duobus locis dubitare possis:

1. Asin. 106 (Rothh. p. 38 III.): *Tun redimes me, si me hostes i n t e r c e p e r i n t?* Sed cum antecedat: *Si forte in insidias d e v e n e r o* (de re crit. v. Goetz-Loewe in ed.), etiam ibi fut. II. praetulerim.

2. Asin. 854 (Rothh. p. 53 VI). *Neque divini neque mi humani posthac quicquam adcreduas, si huius rei me mendacem esse i n v e n e r i s.* Sane ex animo parasiti, qui hic loquitur, illud *mendacem invenire* nullo pacto ad realitatem spectat. Sed conf. Cist. II 1, 21 *Di me perdant! . . . si illam uxorem d u x e r o mihi umquam . . .* || *Et me, si umquam tibi uxorem filiam d e d e r o meam.* Quamquam igitur hic alter asseverat, puellam se numquam esse ducturum, alter se numquam daturum, tamen indicativus usurpatus est in re, quae in mera cogitatione exstat. Omnino autem s e m p e r huiusmodi obtestationes: *di me perdant, nil adcreduas* i n d i c a t i v u m adsciscunt; conf. *numquam creduis . . . ni i n t e r t r a x e r o* (Amph. 671), *neque Duellona neque Mars mi umquam creduat, ni . . . f a x o* (Bacch. 847), *numquam mihi quisquam creduit, ni . . . d e n a r r a v e r o* (Truc. 307), *di deaeque . . . me interficiant, nisi . . i n t e r f e c e r o.* (Most. 192), *divi me faciant quod volunt, ni te l i b e r a s s o.* (Most. 222). — Praeterea haec C a t o n i s exempla non dubie spectant ad fut. II.: *si quid vos . . f e c e r i t i s, labor recedet* (p. 38, 11 Iord.), *siqua . . f e c e r i t i s, abibit . . . manebit* (p. 39, 1), *si quis s u p e r f u e r i t, si quis non i n v e n e r i t, egebit* (p. 63, 1). — Adde denique hunc V a r r o n i s locum: *si non plus testiculorum o f f e n d e r i s quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem* (Sat. Men. 369 Buech. [XXII, 19 Riese]).

§. 4.

De coniunctivi perfecti activi usu in eis secundariis enuntiatis condicionalibus, quorum primarium enuntiatum aliunde pendet.

Venimus nunc ad eos locos, ubi apodoseos verbum est aut infinitivus aut coniunctivus aliunde suspensus: qua de re conf. supra p. 13 sq. Protaseos autem coniunctivus utrum in eiusmodi structura sit absolutus, an orationis inversione effectus, id quaeritur. Prisca autem aetate [1]) hypotacticam quae dicitur rationem ut alioquin sic in enuntiatione condicionali aliunde suspensa nondum tam late quam postea patuisse cum per se facile concedi potest, tum exploratum id redditum est accuratis Liebigii [2]) et Schroeteri [3]) disquisitionibus. Namque et indicativus in obliqua oratione occurrit [4]), et ubi coniunctivus est positus, ibi plerumque etiam in libera et absoluta oratione poni aut debet aut potest. Veluti apud Lucret. III, 208 *(Haec quoque res etiam naturam dedicat eius, quam tenui constet textura, quamque loco se contineat parvo, si possit conglomerari)* manet coniunctivus (potentialis) et in protasi et in apodosi etiam omissa interrogatione obliqua. Contra paulo maioris momenti, quam coniunctivus in apodosi positus, ad modum verbi in protasi inflectendum est infinitivi structura [5]). Praeterea semper respicienda est protaseos collocatio: vide infra p. 45.

---

1) De classicae quae appellatur latinitatis usu conf. e. g. Meiring, L. Gr. §. 716.

2) l. s. s. p. 29: *Somit wäre die Zahl der Stellen, in denen bei Terenz der B. S. unzweifelhaft in der Form der Abhängigkeit von einem regierenden Hauptsatze stände, eine sehr geringe.*

3) l. s. s. p. 24: *Also von den nahezu 300 Bedingungssätzen, die in den 7393 Versen des Lucrez vorkommen, sind nur fünf so beschaffen, dass die Frage, ob sie abhängig sind, aufgeworfen, nur bei zwei oder drei indes bejahend beantwortet werden kann.*

4) Liebig p. 28, Schroeter p. 24 init.

5) Conf. Liebig l. s. s. p. 29.

Nimirum haec norma ut ad omnia verbi tempora, sic ad futurum exactum pertinet: coniunctivi autem futuri exacti vice fungi in illis de quibus quaeritur structuris perfecti coniunctivum scimus. Sed indicativum paratactico more retineri posse ex hoc exemplo Plautino elucere mihi videtur: Mil. 453 *te nusquam mittam, nisi das firmatam fidem, te huc, si omisero, intro ituram.*

Nec tamen statuendum est 'attractioni modorum' locum omnino non fuisse concessum: nam ea a priscis scriptoribus nequaquam est aliena[1]). Ubi igitur coniunctivus perfecti in illius modi enuntiatis exstat, haereas utrum coniunctivum esse potentialem an attractione modorum effectum putes. Augetur autem difficultas eo, quod — a prima persona si discesseris — indicativus fut. ex. et coniunctivus perf. formis non differunt. Qua de causa saepenumero ultra quo progrediamur, quam ut veri videamus similia, non habemus. Consentaneum tamen est semper in eis secundariis enuntiatis condicionalibus coniunctivum requiri, ubi is qui loquitur non sua, sed alius hominis dicta vel cogitata obliqua oratione refert, velut Bacch. 669 *Quid dixit?* || [*Dixit,*] *si tu illum solem sibi solem esse dixeris* (coni. perf.), *se illum lunam credere esse et noctem qui nunc est*[2]) *dies.*

---

[1]) Velut particulae *quom* per se indicativum apud priscos exigenti coniunctivus interdum adiungitur propter coniunctivum proxime antecedentem vel etiam subsequentem: Luebbert, Gramm. Stud. II. (Die Syntax von *quom* i. ält. Lat.) p. 86. 126. 130. 138. Infinitivi structura coniunctivus post *quom* particulam effectus est e. g. Ter. Phorm. 927 *(non est aequom me propter vos decipi, quom ego vostri honoris causa repudium alterae remiserim).* Eandem attractionem fieri videmus e. g. in enuntiatis relativis: conf. Brix ad Plaut. Capt. v. 205 *(si . . . solutos sinat, quos argento emerit)* et ad Mil. v. 426 *(Quin ego hoc rogem, quod nesciam?* ubi is qui loquitur re vera nescit id, quod rogat alterum).

[2]) Indicativus *(est)* offensionis nihil habet, quoniam aliquid re vera exstans *(dies)* significatur. Contra illud *dixeris* ex animo alterius est dictum.

I.

In apodosi legitur coniunctivus modus aliunde suspensus.

I. Primum locum obtinet protasis, medium enuntiatum regens, postremum apodosis.

C. Gracch. or. in P. Popil. p. 238 Meyer (Gell. XI, 13, 3) *Quae vos cupide . . . adpetistis atque voluistis, ea si temere repudiaritis, abesse non potest, quin aut olim cupide adpetisse aut nunc temere repudiasse dicamini.*

Hoc unum inveni exemplum.

II. Apodosis—protasis—enuntiatum regens. Unum exemplum; apodosis est interrogatio obliqua.

Ter. Hec. 567 *ut hic laturus hoc siet, si ipsam rem ut sit resciverit, Non edepol clam me est.*

III. Enunt. regens—protasis—apodosis. Coniunctiones in apodosi: *ut* finale et *ne* post verbum timendi.

Plaut. Amph. prol. 64 *me orare a vobis iussit Iuppiter, Ut conquaestores singula in subsellia Eant . . . Si quoi favitores delegatos viderint, Ut is in cavea pignus capiatur togae.*

Merc. 586 *Metuo ego iam uxorem cras si rure redierit, Ne illam hic offendat.*

Ter. Eun. 501 *Fac cures, si Chremes hoc forte advenerit, Ut ores. . .*

Cato p. 71, 7 Iord. *Et praeterea rogas . . . ea si populus condemnav[erit uti] siremps [lex si]et quasi adversus legem . . .*

IIII. Antecedit enunt. regens; protasis autem inter apodoseos coniunctionem (*ut* vel *ne*) eiusque reliqua verba interiecta est[1]).

Plaut. Pers. IV, 2, 23 *Proinde tu tibi iubeas concludi aedes foribus ferreis . . . ne, si ferro parseris, Ferreas tibi tute inpingi iubeas crassas compedes.*

---

1) Coniunctivus ex animo subiecti enuntiati regentis positus est praecedente temporali particula *ubi* Ter. Eun. 139 *Ait, si . . non id metuat, ne, ubi acceperim, sese relinquam, velle se* e. q. s.

Ter. Andr. 199 *Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem, Ea lege et omine, ut, si te inde exemerim, ego pro te molam.*

Varr. r. r. III, 16, 31 *ut quae in novam coloniam introierunt, permanent adeo libenter, ut etiam si proximam posueris illam alvam, unde exierunt, tamen novo domicilio potius sint contentae.*

V. Enunt. regens — apodosis — protasis.

a. apodosis adnectitur particulis *ut* vel *ne* finalibus [1]):

Plaut. Pseud. 93 *An tu ea te causa vis sciens suspendere, Ut me defrudes drachuma, si dederim tibi?*

Ter. Andr. 315 *Adeon ad eum? || Quidni? si nil impetres, Ut te arbitretur sibi paratum moechum, si illam duxerit.*

Adelph. 170 sq. *Cave nunciam oculos . . . demoveas tuos, ne mora sit, si innuerim* e. q. s. [2])

Ne pendet a verbo metuendi:

Plaut. Most. 922 *At enim* [*metuo* [3])] *ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.*

Trin. 754 *metuo sonitum ne ille exaudiat, Neu rem ipsam indaget, dotem dare si dixerim.*

b. *Ut* consecutivum invenitur:

Ter. Andr. 493 *idoneus tibi videor esse, quem fallere incipias dolis? Saltem accurate, ut metui videar certe, si resciverim.*

c. particulae *ut ne* consecutiva [4]) quadam vi praeditae sunt:

Ter. Phorm. 974 *illam ita tibi incensam dabo, Ut ne restinguas, lacrimis si exstillaveris.*

---

1) Conf. Cornif. I 9, 16 *dabimus operam, ut nihilo minus industrie, quam rei utilitas postulabit, quaesivisse videamur, si prius pauca de causarum divisione dixerimus.*

2) Conf. Rud. 731 *Vos adeo, ubi ego innuero vobis, ni ei caput exoculassitis* e. q. s.

3) V. Lorenz. a. h. l.

4) Vide Holtze II p. 164.

d. *quî* particula finali notione praedita legitur:

Asin. 589 *Nimis vellem habere perticam.* || *Quoi rei?* || *Qui verberarem Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumina.*

II.

Apodoseos verbum est infinitivus.

I. Protasis — apodosis — enuntiatum regens.

Fab. Pict.[1]) (ap. Gell. X, 15, 10) *si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est.*

II. Protasis est inclusa in apodosi; enuntiatum regens postremo positum est.

Fab. Pict. (ap. Gell. X, 15, 8) *Vinctum, si aedes eius introierit, solvi necessum est.*

III. Enunt. regens antecedit; protasis in apodosi inclusa:

Varr. r. r. 2, 5 *De quibus admirandum scriptum inveni, exemtis testiculis, si statim admiseris, concipere.*

IIII. Enunt. regens — protasis — apodosis[2]):

Plaut. Trin. 891 *Quasi dicas, si quid crediderim tibi, 'pax' periisse ilico.*

Ter. Andr. 341 *Quem ego nunc credo, si iam audierit sibi paratas nuptias . . . toto me oppido exanimatum quaerere*[3]).

Lucr. I, 799 *Quin potius tali natura praedita quaedam Corpora constituas, ignem si forte crearint, Posse eadem*

---

1) Sane notum est Pictorem libros suos graece conscripsisse; sed exstabat etiam perantiqua interpretatio Latina. Quare, ne quid desideretur, hoc exemplum adfero.

2) De Bacch. v. 699 v. supra p. 39.

3) Notandum tamen est apodoseos accusativum subiectivum *(Quem)* totum verborum ambitum antecedere propter relativam quam appellant copulationem.

. . . facere aëris auras, Sic alias aliis rebus mutarier omnis?

Lucr. III, 482 *At quaecumque queunt conturbari inque pediri, Significant, paulo si durior insinuarit Causa, fore ut pereant aevo privata futuro*[1]).

V. Enunt. regens antecedit apodoseos infinitivum, qui semper est futuri temporis[2]); extremo loco est protasis.

Plaut. Asin. 97 *promitto tibi Non offuturum me, si id hodie effeceris.*

Ter. Ad. 382 *Utrum studione id sibi habet an laudi putat Fore, si perdiderit gnatum?*

Fortasse huc pertinet:

Hec. 716 *oremus accusemus: gravius denique Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.*

Nescio an intellegendum sit: *minitemur nos aliquid mali ipsi inlaturos esse, si* e. q. s.[3])

---

1) Futuri exacti indicativus sine dubio agnoscendus est Varr. r. r. I, 69, 4 [*Putant*] *punica mala . . . si demiseris in ollam sine fundo, eamque si conieceris in terram et obteris circa ramum . . . ea non modo integra eximi, sed etiam maiora, quam in arbore pependerint.* Praesentis indicativus *obterit* evincit etiam *demiseris* et *conieceris* esse indicativos.

2) In exemplis hucusque adlatis semper obvius erat praesentis infinitivus, nisi quod Lucr. III, 482 formula *fore ut* adhibita est.

3) Potest tamen sententia etiam sic explicari, ut *habuerit* sit pro *habitura sit*: *schliesslich wollen wir ihr nachdrücklicher mit Drohungen zusetzen für den Fall, dass sie mit P. ein Verhältniss in der Folge zu unterhalten vorhabe.* De perf. coniunctivo participii futuri activi cum *sim* coniuncti munere fungente vide supra p. 13. Quam raro coniugatio quae dicitur periphrastica (*-turus sim*) a priscis usurpata sit ex hoc exemplorum conspectu cognosces: ad protasin hypotheticam spectant tria exempla: Plaut. Mil. 1186, Rud. 1419, Lucr. III, 947; in interrogatione obliqua sunt haec: Plaut. Bacch. 722, Cist. II 1, 40, Epid. 377, Men. 723, Merc. 572, Mil. 1184, Pers. 144. 302. 590, Poen. IIII 1, 1 (817), Truc. 338, Ter. Hec. 567. 614 Varr. r. r. II 7, 5; in aliis structuris: Plaut. Pseud. 565, Ter. Phorm. 960, Adelph. 514. Uno loco invenitur 'futurum in praeterito':

Conf. Andr. 494 *ut metui videar certe* [scil. *quid facturus sim,*] *si resciverim;* Ovid. Met. VI, 362 *minasque, ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt* (= *addunt minas se eam violaturos esse, ni p. a.*).

Pompon. 51 Ribb. *Mars, tibi voveo facturum, si umquam redierit.*

Fortasse huc pertinet hic locus Lucilianus, cuius initium deest:

XXVIII, 18 Muell. (699 L.) *vel si alia opus sit fore, si hinc aliquo cesseris...*

VI. Verbum regens in apodosin est insertum; protasis extremum locum tenet.

Plaut. Trin. 695 *Quid? te dictatorem censes fore, si abs te agrum acceperim?*

Varr. r. r. III, 9, 11 *Ova plena sint . . necne, animadverti aiunt posse, si demiseris in aquam.*

Uno igitur loco est infinitivus futuri, altero praesentis: sed verbum quod est *posse* etiam pro infinitivo futuri usurpari constat [1]).

VII. Uno loco apodosis antecedit verbum regens; protasis extremum locum obtinet. Infinitivus est futuri.

Ter. Phorm. 626 *An legibus Daturum poenas dices, si illam eiecerit?*

Ceterum dubitari potest, utrum haec omnia exempla re vera spectent ad coniunctivum, an compluribus in locis futuri II. indicativus sit agnoscendus, quoniam scimus in prisca latinitate maiorum fuisse modorum licentiam quam postea.— Aut indicativus aut coniunctivus per se constans (i. e. non effectus

Plaut. Pers. 296 *(dicturus fuerim).* De Ciceronis usu exposuit F. Hoppe duob. progr. Gumbinn. aa. 1875. 1879; de Caesaris ratione conf. Dittenberger Herm. III p. 375 sqq.

1) Conf. e. g. Schultz, Lat. Gramm. §. 396 not. 3.

orationis implicatione, sed potentiali modo positus) statuendus videtur eis locis, ubi protasis aut antecedit aut sequitur totam enuntiationem: initio enim comprehensionis obliqua orationis implicatio animo loquentis vel scribentis nondum distincta obversabatur; nec minus laxo vinculo condicionem ultimo loco adiectam cum verborum complexione cohaerere ex ipsa re perspicitur. — Prima coniunctivi perfecti persona protasi praecedente numquam invenitur, quinquies contra protasi enuntiatum claudente: Plaut. Most. 922 (*dederim*), Pseud. 93 (*dederim*), Trin. 695 (*acceperim*), Trin. 755 (*dixerim*), Ter. Andr. 494 (*resciverim*). Semel invenitur protasi in media enuntiatione posita: Ter. Ad. 171 (*innuerim*). Ubi 'attractioni modorum' coniunctivus deberi videtur: nam, ut ex proximis versibus apparet, in ipsa quidem condicione nihil inest incerti vel dubii. Idem sensisse videtur is, qui in codice Parisino (P) *innuerim* mutavit in *innuero*. Ut hoc Adelphon loco protasis inter apodosin et aliud enuntiatum ab ipsa apodosi pendens est interposita, ita non minus arta membrorum fit colligatio, cum protasis circumcluditur enuntiato regente et apodosi. Artissima vero fit coniunctio, ubi protasis in ipsam apodosin est inserta. Quare eis locis coniunctivum ex implicatione orationis ortum esse statuimus, licet interdum potentialis quaedam significatio admixta sit.

§. 5.

Examinantur ea exempla, quae in sententiis condicione non adstrictis occurrere videntur.

Quae hucusque attulimus perfecti activi coniunctivi exempla, omnia in enuntiatis condicionalibus sunt posita. Iam vero apud scriptores, qui ante medium fere septimum saeculum a. u. c. fuerunt, extra hypothesin omnino nullum exstare videbimus.

Namque qui contradicere videntur loci paucissimi, partim aperte sunt depravati, partim ab ipsis scriptoribus pro-

fecti non sunt, partim denique ex coniectura editorum originem ducunt.

Atque codicum memoria eiusmodi loci traditi sunt tres, qui apud Plautum leguntur: ex eis unus est corruptissimus, ceteri a Plauto scripti non sunt.

1. Corruptissimus ille locus est Truculenti v. 629. Libri (vv. 628 sq.) exhibent haec litterarum monstra:

Sed verum sine dum petere si quidem belligerandum est tecum abo[1]) *domum ego tecum bellator arbitrum aecum*[2]) *ceperim.* Vides verba tanto opere esse conturbata et obscurata, ut hic quidem locus omni probandi vi careat. Praeter alios multos etiam Madvig l. s. s. p. 100 adnot. versum 629 *aperte depravatum* esse iudicat. Schoell autem, recentissimus editor, sententiam ad intellegendum saltem apertam sic effecit:

Sed verum sine me dum petere, si quidem belli gerandumst tecum:
Abdomen seco, ni, bellator, arbitrum aequom ceperis.

Qua lectione efficitur enuntiatum condicionale. Ceterum vix umquam ipsa verba Plautina nos recuperare posse patet.

2. Quare relictis his librariorum ineptiis secundum locum spectemus, qui est in Captivorum Plautinae prologo (v. 53): *Sed etiamst paucis, vos quod monitos voluerim.* Prologos autem Plautinos, quales quidem nobis sunt traditi, a Plauto non esse profectos inter omnes constat. Atque adeo ex ipso nostro prologo eius rei argumentum peti solet vel gravissimum (ex vv. 11 sqq.): quode conferre licet inter alios Brixium[3]) (ed. praef. p. 5). Atque etiam nostrum versum a Plauto alienum esse duco[4]). Nam primum cum prologo-

---

1) Sic B; *Ibo* reliqui.

2) Sic B; *aequû* C.

3) Cur hunc nominatim adferam, infra apparebit.

4) Iustum modum videtur transisse Martins (Quaestiones Plautinae), qui Capt., Amph., Poen., Rudentis prologos plane a Plauto abiudicavit.

rum scriptores nonnumquam genuina verba Plautina imitatos esse et in suum usum convertisse constet[1]), nostrum locum effictum esse puto ad exemplum Capt. v. 306 *hoc te . . . monitum volueram*: qua de re infra accuratius dicetur. Deinde etiam proximorum versuum, quibus quae *monenda* restant continentur, totum argumentum abhorret et a Plauti ingenio et ab eorum, qui tum theatrum frequentabant, ingenua lascivia. Nam *spurcidici versus* (v. 56), *periurus leno, meretrix mala* (v. 57), *miles gloriosus* (v. 58) quam maxime in deliciis erant Musae comicae Plautinae: an non de industria in ipsa Captivis Graeco exemplari parasiti personam de suo poeta addidit, quo iocosius et facetius evaderet fabulae argumentum? Profecto igitur ineptisset Plautus, si ipse in prologo comoediam istis iocis carentem tamquam rem singulari suavitate praestantem collaudasset. Illa autem prologi verba quasi commendaticia aptius conveniunt cum posteriore tempore, quo fucus politioris et speciosioris urbanitatis in locum asperi et ingenui animi Romani succedebat, petulansque illud ioculandi genus parum quadrabat in simulatam morum elegantiam. Videntur igitur ab histrionibus vel diasceuastis illi versus inferiore tempore inserti esse.

3. Restat tertium exemplum codicibus traditum, quod sane graviorem scrupulum quam duo priores primo obtutu alicui inicere potest.

Plaut. Asin. 491 *Praefiscini hoc nunc dixerim*[2]*): nemo etiam me accusavit Merito meo, neque mest Athenis alter hodie quisquam, Quoi credi recte aeque putent.*

---

1) e. g. Men. prol. 62 et Poen. prol. 77 (= Poen. V 2, 110). V. Brix. ad Men. v. 1113.

2) *praefiscini* ex *preficisci ni* B[2] D (*perficisci ni* B[1]) certissima coniectura restitutum a Curione et a Scaligero. *diximus* J F Z. — Praefiscini (pro quo occurrit etiam *praefiscine*) *inservit avertendae fascinationi . . . . Putabant enim cum quis impense vel ipse se laudaret vel laudaretur ab alio, fascinationis periculum esse: cui declinando interponebant* praefiscine (Forcellin. lexic. ed. Patav. a. 1878 sqq.). Sed

In hac scaena Leonidas servus atriensem Sauream se esse simulans expostulat cum mercatore quodam de pecunia sibi tradenda, quam ille pro emptis asinis debebat. Quem tamen cum variis fallaciis, minis, maledictis adducere non possit, ut ero absente argentum sibi ipsi credat, tandem ad Demaenetum erum secum una ire iubet (vv. 488. 490). — Sed ut aliae Asinariae partes ita etiam haec scaena et ab

---

ponebatur ea vox etiam — id quod fugit viros doctos — cum quis sibi ipse per iocum obtrectabat: conf. Plaut. Rud. 461. Praeter nostrum locum u n o alio additum est *dixerim*: Apul. flor. 3, 16 *quod difficile factu erat . . . gratum esse populo . . . id, p r a e f a s c i n e d i x e r i m, iam quodam modo mihi obtigit.* (Formam *praefascine* testatur etiam Charisius 2, 15 p. 210). Omisso *dixerim* quattuor locis *praefiscini, -e* occurrit: Plaut Rud. 461, Titin. 110 Ribb., Afran. 36 Ribb., Petron. 73, 6 (N e u e Lat. Formenl. II² p. 682). — Ad ipsam formam si spectamus, utique cum H i l d e b r a n d o (ad Apul. l. c.) cogitari nequit de vetusto aliquo imperativo verbi quod est *praefascinare.* (Inferiore demum aetate hoc verbum invenitur; conf. Porphyr. ad Hor. epod. 8, 18 *fascinum pro virili parte posuit, quoniam p r a e f a s c i n a n d i s rebus haec membri difformitas apponi solet.)* C h a r i s i u s l. s. s. sic explicat: *praefascine, i. e. sine fascino, quod Graeci ἀβάσκαντα* [coniecerim: *ἀβασκαντί* vel *ἀβασκάντως*] *dicunt.* Id certe tenendum erit vocem *prae-fiscini, -e* referendum esse ad substantivum *fascinum* (= *βασκανία*, *βασκάνιον*; vide Vanicek, Etymol. Wörterb. p. 1170 sqq., Gell. XVI 12, 4.). Ac videtur *praefiscini* aeque ac *vesperi*, *crastini* simil. esse forma l o c a t i v a (Buecheler-Windekilde, Lat. Decl. p. 117 §. 304; conf. Gell. X 24, 8, Macrob. Sat. I 4, 20 sqq.): haec autem quod notionem m o d a l e m adscivit et in adverbii fere naturam transiit, non est mirum; namque omnino adverbia in -ē exeuntia origine sunt formae locativae (conf. etiam m o d a l e m significationem formae *quî*: Kienitz, de *quî* localis modalis ap. prisc. scr. Lat. usu [in Nov. ann. supplem. 10. a. 1879]). Illud praefixum *prae* respondere puto Graeco *πρό,* quod in voce *προβασκάνιον* sedem habet: quibus vocnlis praefixis significari videtur: *fort, weg, hinweg,* ita ut pristina vox quae est **praefiscinum* (= *hinweg die Behexung*) designet quamvis fascinationis prohibitionem vel propulsationem. — Sed cum *fascinum* non modo significet *Behexung,* verum etiam *M i t t e l g e g e n Behexung,* possis etiam hac uti explicatione: **prae-fascinum* est *fascinum* (*Amulet*), quod aliquis p r a e se fert tamquam propugnaculum fascinationi oppositum. Quamquam cum p r i m i g e n i a significatio vocabuli *fascinum* sit *Behexung*, prior illa interpretatio probabilior esse mihi videtur.

interpolatoribus et a diasceuastis est temptata. Atque vv. 480—483 iam Ussing probantibus Goetz et Loewe delevit. Finem vero scaenae inde a nostro versu (489—503) Goetz et Loewe in suspicionem vocarunt. *Primum enim illud notandum, quod v. 488 finis indicatur* [*age ambula ergo;* v. 490 hoc iussum iteratur: *sequere hac ergo*], *v. autem 503 desideratur: praeter cetera autem hoc mirum est, quod post v. 471 —485 talis omnino sermo adiectus est: unde suspicio nata est integros hos versus ad eam quam habemus recensionem postea adiunctos esse, sive ex priore recensione sunt repetendi sive ex posteriore* (praef. p. XXIII) [1]).

Quam recte Goetz et Loewe de fine scaenae v. 488 vel potius v. 490 indicato iudicaverint elucebit ex hoc exemplorum conspectu:

I. Eis locis, ubi loquendi formulis *sequere me, sequere hac* simil. alter alterum exhortatur, ut scaena secum una discedat, non amplius sermones seruntur, sed statim ambo foras egrediuntur.

1. Atque nonnumquam alter omnino nihil respondet:

Plaut. Bacch. 108 *sequere hac me igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem.*

Bacch. 169 *sequere hac me ac tace.*

Capt. 460 *sequere tu, te ut amittam: ei rei primum praevorti volo* [2]).

Curc. 215 *sequere me.*

2. Alter se dicto audientem esse verbis exprimit:

Plaut. Asin. 941 *sequere hac me, mi anime!* || *Ego vero sequor.*

---

1) Atque etiam hoc moleste ferimus, quod v. 499 Leonida denuo debitorem aliquem nominat, qui argentum sibi adnumerasset, cum iam vv. 431—444 complurium debitorum nominibus fictis sese eri rationes negotiaque semper procurare exposuisset. Quod eo magis languet, quod mercator ne his quidem novis mendaciis sollicitatur, sed in consilio suo perseverat.

2) Non pertinet huc Aul. 329 *Eum sume atque abi intro illo, et vos illum sequimini.* Quamquam ne hic quidem ei, qui sequi iussi sunt, in scaena diutius morantur.

Most. 857 *sequere hac me igitur.* || *Equidem haud usquam a pedibus apscedam tuis.*

Pers. 399 *sequere hac.* || *Dicto sum audiens.*

Poen. II, 1, 54 (502) *sequere hac me* || *Sequor: In hunc diem iam tuos sum mercennarius.*

Reliquis huiusmodi locis simpliciter *sequor* respondetur: Aul. 349, Capt. 953, Curc. 370, Pers. 751, Pseud. 1016 [1]), Trin. 1109 [2]).

3. Paucissimis locis etiam alia quaedam adnectuntur, quae tamen commode inter abeundum dici possunt:

Plaut. Bacch. 499 *sequere hac me.* || *Sequor. Melius esset, me quoque una si cum illoc relinqueres.* || *Adfatim est. Mnesiloche cura et concastiga hominem probe, Qui dedecorat te, me amicos, alios flagitiis suis.*

Ceterum Fleckeisen verba *melius* e. q. s. ante scaenae clausulam collocavit: quod approbandum videtur.

Capt. 764 *sequere hac: redducam te ubi fuisti; neminis Miserere certumst, quia mei miseret neminem.* || *Exauspicavi ex vinclis: nunc intellego Redauspicandum esse in catenas denuo* [3]).

II. Ubi vero, cum alter alterum sequi iussit, non statim ambo egrediuntur, ibi aliquis aut in scaenam prodire aut ad alium scaenae locum accedere iubetur [4]).

1. Illud, quod priore loco posuimus, fit in scaenarum initio:

Plaut. Asin. 810 *Sequere hac: egon haec ut patiar?*

---

1) Ibi senes (Simo et Ballio) scaena decedunt, dum servus (Pseudulus) restans quaedam secum loquitur.

2) Conf. notam proxime antecedentem: etiam in Trinummi loco senes (Callicles et Charmides) abeunt, dum servus (Stasimus) restat.

3) Haec verba Aristophontes captivus Hegionem sequi iussus secum ipse loquitur, dum foras egreditur.

4) Plerumque eis locis breviter ratio iubendi redditur.

Cist. III, 1, 1 *Sequere, mea Silenium, Ut eorum, quorum oportet esse te, sis potius, quam mea.*

Pers. 332 *Sequere hac, mea gnata, me cum dis volentibus.*

Trin. prol. 1 *Sequere hac, mea gnata, ut munus fungaris tuom.*

2. In media scaena i. e. inito iam sermone aliquis in alium scaenae locum concedere iubetur:

Plaut. Asin. 648, Bacch. 39 *Sequere hac.*

Capt. 293 *Sequere hac me igitur* [1]).

Capt. 373 *Sequere: em tibi hominem.*

Curc. 88 *Sequere hac, Palinure, me ad fores: fi mi obsequens.* || *Ita faciam.*

Poen. V, 3, 42 (1161) *Me sequere.* || *Iam dudum equidem cupio et te sequor.*

In reliquis exemplis sequendi iusso adiungitur enuntiatio affirmativa, eaque interiecta voce *faxo* plus ponderis accipit.

Plaut. Asin. 876 *Sequere hac me modo: iam faxo ipsum hominem manufesto opprimas.*

Bacch. 831 *Sequere hac me: faxo iam scies.*

Men. 562 *manufesto faxo iam opprimes: sequere hac modo.*

III. Huic normae a nobis constitutae aliquot loci videntur obloqui: qui tamen ita sunt comparati, ut potius confirment, quam infringant regulam.

Epid. 657 *Sequere me, soror hac.* || *Ego ad vos Thesprionem iussero huc transire e. q. s.* || *Facile istuc erit.*

Hic non ei, qui de scaena abituri sunt, Stratippocles eiusque soror, sermonem redintegrant, sed Epidicus servus decedentes paucis verbis prosequitur; brevi responso dato Stratippocles cum sorore intro abit.

Prorsus eiusdem generis est Poen. I, 2, 194 (406) *Sequere me soror.* || *Atque audin?* e. q. s. Adelphasium meretrix iubet Anterastylem sororem secum una ire, sed Agorastocles sorores i a m a b e u n t e s (conf. v. 408 *atque audin? r e s p i c e.*) retinet eisque mandata quaedam dat.

---

[1]) Conf. Brix. ad h. l.

Capt. 449 *Sequere me, viaticum ut dem a tarpessita tibi: Eadem opera a praetore sumam syngraphum.* || *Quem syngraphum?* || *Quem hic ferat secum ad legionem* e. q. s.

Etiam h. l. alius atque qui sequi iussus est, sermonem interrogando (*Quem syngraphum?*) producit; praeterea autem in fine colloquii iteratur sequendi iussum (v. 460 *Sequere tu, te ut amittam*).

Merc. 952 *Sequere sis.* || *Sequor.* || *Clementer quaeso: calces deteris. Audin tu?* e. q. s.

Ubi ipsum illud *calces deteris* significat ambos statim de scaena esse decessuros. Accedit, quod is ipse, qui sequi iussus est, alterum stimulat, ne cesset (vv. 954 sq. *nam nunc eist irata* — || *I modo.* || *Propter istanc.* || *I modo.* || *Ergo cura.* || *Quin tu ergo i modo.*).

Most. 990 *Puere sequere, te obsecro, hac me*[1]. || [*Tergo timeo.* || *Ne time*[2].]

Puere iamne abis? || *Libertas paenulast tergo tuo:*
Mihi, nisi ut erum metuam et curem, nihil est qui tergum tegam.

Hic Phaniscus puer Theopropidem senem sequi recusat: eri enim iram se timere dicit. Theopropides autem hunc scrupulum puero ex animo evellere studet. Quod igitur scaenae finis paululum differtur, non est mirum. Similis ratio cadit in

Bacch. v. 87 *Manum da et sequere.* || *Ah minume.* || *Quid ita?* e. q. s.

Ubi Bacchis meretrix, cum Pistoclerus adulescens eius invitationem respuat, in precibus suis perseverat, ut tandem adulescentis animus flectatur.

Poen. V, 6, 29—34 (1366 sqq.) *Sequere intro, patrue mi, ut festum diem Habeamus hilare hunc huius malo et nostro*

---

1) Deest hic versus in codd. B C D; in cod. A nonnulla verba legi possunt. Sed Geppert (Plaut. Stud. II p. 77) a Ritschelio discrepans haec eruere sibi visus est: *tq . . . . sequere hac me.*

2) Quae uncis sunt inclusa supplevit Ritschl Parerg. p. 453. Conf. Lorenz a. h. l.

bono. Multum valete . . . Nunc si placuit, plausum postulat comoedia.

Scaenae exitus hic eo paulisper retardatur, quod histrio exacta comoedia [1]) spectatores valere et plaudere iubet.

Nostro vero Asinariae loco retardationis causa est nulla. Quae cum ita sint, Plautus Asin. versibus 491 sqq. sine dubio scaenam non finivit. Sane Goetz hoc in medio reliquit, utrum ex priore recensione, an ex posteriore repetendi sint illi versus. Sed eo ipso, quod post indicatum scaenae finem (vv. 488. 490) ei collocati sunt, posterior origino videtur confirmari. Accedit, quod quibusdam sermonis proprietatibus suspicio movetur. Ac primum animadvertendum est a priscis scriptoribus coniunctivum *dixerim* nullo alio loco voci quae est *praefiscini, -e* esse adiectum. Apuleius demum semel posuit *praefascini* [non: *praefiscini*] *dixerim* [2]): vide supra p. 47 sq. not. 2. Praeterea nescio an vox quae est *fortasse* (vv. 493. 499. 502) numquam a scaenicis in hunc modum absolute i. e. nullo verbo adiecto posita sit [3]). Atque a Plauto etiam hae locutiones alienae videntur: *capitulum hoc = ego* [4]) (v. 496), *secunda alicui facere* (v. 496), *aliquem ex alio percontari* (v. 503). Adde denique, quod versus 492 et 501 iustis numeris carent. — Ceterum fac versus de quibus quaeritur a Plauto esse scriptos: ne hoc quidem posito coniunctivi *dixerim* ratio legi a nobis constitutae repugnat. Nam si subtilius in rem inquires, locutionem quae est *praefiscini dixerim* multo propius ad optativam sententiam quam ad affirmationem modestiore modo elatam ac-

---

1) De duplici Poenuli exitu vide Goetzii et Loewii app. criticum.

2) Possis obicere Apuleium ab ipso Plauto hanc locutionem deprompsisse. Sed hoc tempore constat Apuleium in elocutione effingenda plura sumpsisse de vulgari illius aetatis sermone, quam a priscis scriptoribus. Vocem autem quae est *praefascine* ab his mutuatam non esse inde firmatur, quod etiam Petronius, gravissimus vulgaris latinitatis auctor, ea voce usus est.

3) In Ennii reliquiis vox *fortasse* numquam invenitur.

4) Alibi *caput* ita usurpatum invenitur; conf. Lorenz ad Most.² 244.

cedere invenies. Nec enim subest haec notio: *Dies dürfte (könnte) ich jetzt wohl 'unberufen' sagen,* sed potius: *Dies wünsche ich jetzt 'unberufen' zu sagen,* sive: *möchte ich dies jetzt 'unberufen' sagen dürfen*[1]) = liceat mihi p. dicere: conf. quae infra de locutione *pace alicuius dixerim* proferentur. Sed paulo accuratius rem persequamur.

Ac primum quidem adnotandum est primam personam coniunctivi potentialis saepissime significare loquentis animum ad aliquid esse propensum[2]): spectat igitur e. c. *paene dixerim* (Tac. dial. 32) aliqua ex parte ad coniunctivum volentis. Qua in re deprehendimus fines appetendi (volendi) et intellegendi (iudicandi) in mente humana parum firme et distincte constitutos. Ac nostro quidem loco vel clarissime elucet optativa vis sententiae. Leonida enim servus quae de se ipse praedicaturus est contra fascinationem praemunire vult: propterea ad infaustum omen avertendum optat, ut omnis invidia verbis absit.

Nec phrasis quae est *praefiscine dixerim* analogis exemplis caret: nam aptissime comparare licet illud *pace alicuius dixerim*[3]). Veluti apud Ciceronem (Tusc. V, 5, 12) legitur: *Bruti ego iudicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo (i. e. mögest du es mir nicht übelnehmen; ohne dir zu nahe treten zu wollen).* Reapse autem hanc locutionem optandi (vel omnino volendi) notione praeditam fuisse lucu-

---

[1]) Conf. Graecum *ὡς μὴ βασκανθῶ* (Theocr. 6, 39, Plut. Symp. 5, 7).

[2]) Praesens quidem semper fere (cf. Meiring l. s. s. §. 642) hoc modo ponitur: exceptionis loco est e. g. Cic. off. 1, 3 *perfectum officium rectum, opinor, vocemus* (= *können wir nennen*); sane notandum est h. l. numerum esse pluralem.

[3]) Conf. Cic. p. Mil. 38, d. or. I 17, 76, ad fam. 7, 17, 1, d. leg. 3, 15, 33, d. div. 1, 15, 25, d. fat. 3; Vellei. 1, 7, 2. Vide etiam Wyttenbach ad Cic. d. leg. p. 488 ed. Creuz. Praesens legitur e. g. Cic. p. Marc. 2, 4 *hoc pace dicam tua.* Conferre licet Ter. Eun. 466 *pace quod fiat tua:* ibi quoque sententia est optativa. Similem saltem vim adscire mihi videtur coniunctivus *dicam,* quando ad locutionem *deum virtute* per parenthesin adicitur (Brix ad Trin. v. 346).

lenter apparet ex hoc disticho[1]: (Lutat. Catul. ap. Peters hist. fragm. ed. mai. p. 192, 13 [Cic. n. d. 1, 28, 79]): *Pace mihi liceat, caelestes dicere vestra: Mortalis visust pulchrior esse deo.* Patet verba quae sunt mihi *liceat p. v. dicere* esse circumlocutionem simplicis enuntiationis *p. v. dixerim* (vel *dicam*).

Iam quo magis confirmetur nostra explicandi ratio, videndum est, num praeter illud *dixerim* etiam aliorum verborum perfecta pari modo in optando sint posita. Atque Luebbert quattuor adfert exempla Plautina[2]): Cas. II, 6, 47 *utinam tua quidem . . . ista in sortiendo sors delicuerit;* Poen. III, 6, 4 (799) *apscessit.* || *Utinam hinc abierit malam crucem.* Duo reliqua exempla in nostram rem convertere fortasse non licet: *perieris* (Men. 295) et *perierint* (Stich. 385): vide supra p. 20. Sed nescio an uti liceat hoc loco Plautino: Rud. 662 *nimis velim improbissumo homini malas edentaverint.* Nam coniunctivus *edentaverint* non pendet ex verbo *velim,* sed est coniunctivus paratacticus. Accedit hoc exemplum: *di monerint* [ab indic. **moni*] *meliora atque amentiam averruncassint tuam*[3]). Quibus exemplis dubitanter adiungo hoc: Fest. 351, 10 (ex precat. augur.) *bene sponsis beneque volueris;* vide Luebbert I. p. 32. Ex posterioribus autem scriptoribus Catullus hoc exhibet: *Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint* (66, 18). Ac ne a Cicerone quidem plane alienus hic usus; conf. Phil. XII, 6, 14 *quod dii omen averterint*[4]).

---

1) Conf. Mommsen Röm. Gesch.[6] II. p. 442 not.***

2) Pleniorum scilicet in *-erim* formarum: multo frequentiores sunt formae in *-sim:* Luebb. I p. 30, Brix ad Men. v. 295. Conf. etiam Buecheler, prop. Iguv. lustr. p. 37: *commiscent usu antiquissimi perfectum optativi et praesens saepissime vetantes, saepe optantes et precantes.*

3) A quo scripta sint haec verba dubium est: nominantur Pacuvius et Lucilius; vide Neue II[2] 481, Luebbert I p. 32.

4) Vide Draeger I p. 311. Qui tamen errat de formis *videris, -it, -itis:* quae pertinent ad futuri exacti indicativum; conf. Madvig l. s. s. p. 92.

Ex eis quae exposuimus intellegitur primum verba quae sunt *praefiscini dixerim* a Plauto orta esse non videri, deinde *dixerim* non tam ad potentiale genus, quam ad optativum pertinere.

Loci, quos adhuc tractavimus, codicum memoria traditi sunt. Praeterea nonnulla exstant exempla, quae a viris doctis coniectando in textum qui vocatur sunt inlata. Quibus non plus iuris esse concessum quam illis, nunc est probandum.

1. Plaut. Mil. versus 332 inde a Camerario in editionibus sic legebatur:

Me homo nemo deterruerit quin ea sit in his aedibus.
detere uti C D, *deteruti* B. Nunc recte a recentioribus editoribus (Brixio, Ussingio, Ribbeckio) recepta est coniectura Mauritii Haupt (ind. lect. Berol. aest. a. 1866 p. 9) *deterrebis.*

2. Trin. 1023 *Quorum unus surripuerit currenti cursori solum.*

Sic Hermann; *Quorum eorum* libri; *furrupuit* B, *furripuit* C D; *Quorum eorum unus surpuerit* Lindemann (coll. Liv. VIII, 37); *Quorum hercle unus surpuerit* Ritschl; *Quorum eorum* def. Haase ad Reis. schol. lat. adnot. 379 (coll. Plaut. Cist. IV, 2, 23 et Ter. Andr. III, 2, 8). *Quorumne* Koch.

Utcumque iudicamus de versus initio instaurando, hoc unum certe tenendum est indicativum unanimo librorum consensu confirmatum[1]) non esse mutandum in coniunctivum perfecti, quippe cum repugnet usus a Plauto constanter servatus. Vocem quae est *unus* plerique ita acceperunt, ut esset pro *quidam* = *τὶς, wofür wir oft jeder sagen* (Brix a. h. l.). Sed mihi quidem h. l. propria eius vocis vis numeralis deminui von videtur, id quod indicat singularis

[1]) De numeris qui sunt h. l. in forma *súrrupuít* conf. Men. 1138 *pallam súrrupuí dudum domo.* Ceterum scribere licet etiam *surpuit.* (Qua de forma conf. Ritschl Prol. Plaut. p. 95 sq.)

numerus qui est *graphicum furem* (v. 1024): quo una persona aperte designatur. In initio autem versus cum Kochio scribendum esse puto *Quorumne unus:* de hoc particulae *ne* usu vide e. g. Lorenz ad Most.² v. 738, Brix ad Trin. v. 360.

Cui vero nullo pacto indicativus videtur posse defendi, is vel ipsis traditis litterarum ductibus facilius ad praesentis coniunctivum *súrrupiát* ducitur quam ad ullam aliam coniunctivi formam. Atque qui offenditur numerorum ratione quae cernitur in forma *súrrupiát,* is conferat velim Capt. 292 *Né ipse genius súrrupiat: proinde áliis ut credát vide.*

3. Truc. 349 vulgata est lectio: *Ego istos qui nunc me culpant confutaverim.*

confutaverim coni. Camerarius; *confutaverunt* (*confutaveř* CD) BCD; *confutavero* LZ[1]).

In codicis B scriptura (*confutaverunt*) latere *confutaverim* non negarim, licet ipsum illud *confutavero* bene conveniat cum Diniarchi qui ibi loquitur vivido et concitato animi motu. Sed collatis antecedentibus versibus fateamur oportet iocum illis expressum plane per se stare, ita ut noster versus quasi claudicante pede totam comprehensionem sequatur. Nec tamen de eiciendo versu cogitandum est, sed iusto suo loco reddendus. Ac Goeller (in ed. Colon. a. 1824) eumque secutus Brix (ad Trin. v. 723) — suspicione de grammatica ratione coniunctivi *confutaverim* prorsus nulla habita — conturbatum ordinem sic restituerunt:

Verum nunc si qua mi obtigerit hereditas
Magna atque luculenta, nunc postquam scio
Dulce atque amarum quid sit ex pecunia:
Ego istos qui nunc me culpant confutaverim:
Ita ego edepol servem illam itaque parce victitem,
Ut — nulla faxim cis dies paucos siet.

---

1) Schoell. edit. praef. p. XV: *LZ vel FZ 'Italorum' brevis significatio est . . . . Qui ut multa egregie emendarunt, ita ne in eis quidem, quae parum recte mutarunt, prorsus praetereundi sunt.*

Pertinet igitur illud *confutaverim* ad condicionalem enuntiationem. Atque versibus sic dispositis aptissime locum suum explent verba illa sede sua olim depulsa [1]). Etenim cum Diniarchus affirmet sese aetate et usu iam edoctum facile omnes calumniatores confutaturum esse, scite statim adicitur descriptio ridiculae rationis, qua tandem in confutando usurus sit.

Venimus ad duos locos Plautinos a Brixio coniectando mutatos.

4. Mil. v. 690 in eius editione sic legitur:

Dicat: 'da mihi, vir, Kalendis meam qui matrem iuverim.'

In adnot. crit. (p. 143) scribit: iuverim *Bx*, munerem *R anstössig wegen der Wiederholung in 693, auch durch die Ueberlieferung wenig empfohlen, denn B C* venerit (*in B* iuverit *darübergeschrieben*), *D* ueuerit. Atque infra textum adnotat: iuverim *potential wie* gesserit *Trin. 139,* voluerim *Capt. II, 2, 59,* luseris *ib. 94,* occiderit *Pseud. I, 3, 116,* fuerit *Poen. V, 2, 13; s. Cas. II, 7, 1—3.*

Primum me non intellegere fateor, quonam modo *iuverim* possit esse modus 'potentialis'. Potius si genuina verba assecutus esset vir doctissimus, eodem modo h. l. *quî* perf. coniunctivum adscisset, quo saepissime in enuntiatis finalibus antiquissimi coniunctivum perfecti ponebant pro praesentis vel futuri coniunctivo: vide supra p. 4 not. 7., Luebbert I. p. 39. Sed nusquam neque *quî* [2]) neque *quin* [3]) cum hoc 'aoristi' coniunctivo consociata inveniuntur. Quis igitur ex coniectura Plauto eum usum tribuere audeat? Ritschelii autem emendationem etiam Ribbeck in editione

[1]) De supplementis ad huius fabulae archetypi marginem adscriptis et a librariis postea male insertis vide Schoell. praef. p. XXXII.

[2]) Vide Kienitz l. s. s.

[3]) Vide eiusd. commentationem de *quîn* part. usu (Karlsruhae 1878. 4.). Logicum tantum perfectum (res praeteritas significans) obvium est: e. g. Plaut. Bacch. 1012, Pers. 56, Amph. 1054 (Kienitz l. s. s. p. 20 sq.).

sua retinuit (nisi quod *moenerem* scripsit). Nec repetitio eiusdem verbi exemplis plane est destituta: Ter. Haut. 28 et 29 *copiam*); conf. Phorm. 305. 306 *com-monstrarier — de-monstrarier*, Andr. 20. 21 *neg-legentiam — di-ligentiam*.

De exemplis vero, quae vir doctissimus ad firmandam suam sententiam proposuit, in rem quadrat nullum. Primum eximenda sunt quae Cas. II, 7, 1—3 occurrunt (supra enotata): nam ibi structura est hypothetica. *Voluerim* autem Capt. II, 2, 59 (306) ex ipsius Brixii coniectura ortum est (codd. *volueram*): quo de loco infra dicemus. Reliqua vero exempla omnia ad futurum exactum ita spectant, ut illas notiones exhibeant, de quibus supra disputavimus: p. 26. Sed quam brevissime perlustremus eos locos:

a. Trin. 139 *Crede huic tutelam, suam rem melius gesserit.*

Conf. e. g. Men. 273 *Cape atque serva, me lubente feceris*[1]). Ubi idem vir doctus adnotat: feceris *fut. II. wie* cavero *271*. Praeterea comparare licet Capt. 296, Curc. 665, Merc. 140, Ter. Phorm. 426. 430[2]). Ceterum hoc quoque loco sententia est hypothetica: *si huic tutelam credideris, suam rem melius gesserit:* de illo 'coordinationis' quae dicitur usu vide Draeger II. p. 218 (§. 373)[3]).

b. Capt. 344 (II, 2, 94) *At nihil est ignotum ad illum mittere: operam luseris.*

Similis est structura e. g. Vidul. fr. I. p. 13 Stud.: *Sol est ad eam rem pictor: atrum feceris.* Sane Cas. II, 7, 1 habemus (in hypothetica structura) *operam luserim*, sed indicativus eiusdem locutionis in simili enuntiato exstat Pseud. 369: *in pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.*

c. Pseud. (I, 3, 116) 350 *Quin tu ted occidis potius? nam hunc fames iam occiderit.*

---

1) Conf. Stich. 473 *Lubente me hercle facies.*

2) Conf. Draeger I p. 284, Melfart l. s. s. p. 21 sq.

3) De Liviano usu conf. Guenther, *Die Formen der Hypothesis aus Livius entwickelt* (Bromb. 1871. 4.) p. 31 sq.

Recte Lorenz h. l. fut. II. agnoscit delegans ad Most. (1. ed.) v. 573 [1]), ubi hunc usum explicat. Eodem pertinet

d. Poen. V, 2, 13 (973) *quin tu insistis fortiter? Aliqua Fortuna fuerit adiutrix tibi.*

Non convenit huic alacri et vividae adhortationi modus potentialis. Etiam h. l. sententia ad rationem hypotheticam prope accedit: *quin tu insistis* est pro *insiste;* imperativum autem pro protasi potentiali poni scimus (cf. supra Trin. v. 139). Est igitur intellegendum: *si insistis, . . . fuerit.*

5. Capt. II, 2, 59 (306) Brix edidit:

Hegio hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, voluerim.

Infra contextum adnotat: voluerim *potential wie 51,* iusserim *597,* dederim *Epid. II, 2, 73.* Sed omnes codices praebent: *volueram,* in quibus etiam Britannicus (J), ut ex Sonnenscheinii collatione apparet.

Non id premo, condicionale esse enuntiatum: nam *nisi forte ipse non vis* est urbana quaedam dictio, quae tantummodo quasi honoris causa adicitur. Sed quaeritur, num plusquamperfectum uno omnium librorum consensu traditum adeo careat sana sententia, ut mutatio sit necessaria. Constat vero veteres plusquamperfectum nonnumquam loco perfecti vel imperfecti usurpavisse, quem usum ipse vir doctus exposuit ad Capt. prol. v. 17 (*dixeram* = *dixi*); conf. ipsius Captivorum v. 938 (*reliqueram*). Plusquamperf. et imperf. promiscue posita sunt Asin. 212: *quod ego iusseram ac volueram faciebatis: quod nolebam ac votueram* e. q. s. Nostro autem loco *volueram* = *volebam* pro praesenti eodem modo positum est, sicut et nos, priusquam rem ipsam proferimus, dicimus: *noch eins wollte* (= *will*) *ich dir sagen.* Et ipse Plautus, ut rectissime Rothheimer l. s. s.

---

[1]) Conf. Lorenz ad Pseud. v. 630 R, Most.[1] 226; Meissner ad Ter. Andr. v. 683.

p. 21 animadvertit, dixit Asin. 452 *Sed si domist, Demaenetum volebam* (= *volo*); adde v. 392 *Quid quaeritas?* || *Demaenetum volebam.* Ac Luebbert, vir priscae latinitatis in primis gnarus, in 'stud. gramm.' II. p. 168, postquam plusquamperfecti apud veteres usum tractavit, de nostro idiomate addidit: *Bei* volueram *ist schon nicht mehr an eine rein momentane Handlung zu denken, sondern an ein zuständliches Verhalten.*

Iam exempla a Brixio ad hunc Capt. locum adlata si spectamus, duo eorum (*iusserim, dederim*) pertinent ad condicionale genus. Restat igitur prologi v. 51 (56 Fl.), quem supra a Plauto abiudicavimus [1]) et ad exemplum versus 306. fictum esse statuimus. — At cur tandem is, qui eum versum imitatus est, non retinuit plusquamperfectum? Id certe non ita difficile est ad explicandum. Namque inferiore tempore obsoletus ille plusquamperfecti usus offensionem facillime praebere potuit, ita ut prologi versificator modum potentialem illi aetati magis convenientem substitueret. Verum si quis illius loci (Plautinam indolem parum redolentis) [2]) ipsius poetae esse existimat, tum profecto non tam soloecismus ibi obvius ad nostrum locum est transferendus, quam unicum illud exemplum cum toto reliquo usu pugnans expungendum et ad nostri loci similitudinem emendandum erit.

Restant tria exempla Terentiana.

6. Eun. 307 *Nunc, Parmeno, te ostenderis, qui vir sies.*

ostenderis coni. Bentley addens: *poteris etiam* ostendes; *sed illud melius,* ostenderis, *modo potentiali h. e. possis ostendere.* NUNCTEPARMENOTEOSTENDES cod. A; etiam rell. codd.: *ostendes* [3]), sed *te* semel exhibent discre-

---

1) Vide p. 46.

2) Vide p. 47.

3) Fortasse futurum I. *ostendes* olim quasi interpretamenti loco adscriptum fuit.

pantque inter se eius vocis collocatione; *tu ostendes te* Thomas l. s. s. p 12.

Bentleii coniectura per se sane est optima; sed modum iussivum, vel ut rectius dicam futuri exacti indicativum agnoscendum esse recte vidit Luebbert I. p. 92 [1]). Simili modo *ostenderis* in vetando positum est Plaut. Rud. 1135 *tu mihi nihilum ostenderis.*

7. Eun. 591 *Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero fecerim ac lubens.*

fecerim Bentley: „*praestet* faxim; *cf. Ad. 887. 896*" Dziatzko in ádnot. crit., *ita feci* codd. violato metro, *item feci* Bothe eumque secuti Fleckeisen et Umpfenbach, *Ego hoc homuncio . . . . . ita [feci] ac lubens* Dziatzko, *faciam* (pro *facerem*) Faber et Bothe.

Recte Faber ac Bothe in voce quae est *facerem* [2]) offenderunt, itemque Bentley in eo quod est *feci.* Nam praeteritum tempus in hunc locum non quadrat. Sane id, quode Chaerea adulescens h. l. loquitur, iam factum est. Sed is refert Antiphonti amico, quid ante facinus a sese patratum secum reputaverit; ac noster versus exprimit partem earum cogitationum, quae tum ipsius mentem subibant (conf. quae proxime secuntur: *dum haec mecum reputo*). Praeterea cum verbis quae sunt *ego illud vero ita feci* male convenit Antiphontis interrogatio (v. 604): *Quid tum* [scil. *fecisti*]? Nam si Chaerea rei exitum iam antea indicasset, amicus ea interrogatione uti non potuit. Quid igitur versu 591 faciamus? Equidem sic existimo hunc versum a lectore quodam e simili scaena desumptum ad marginem esse ad-

---

1) Conf. Madvig l. s. s. p. 92. 96, Haase ad Reisig. schol. Lat. adn. 455.

2) *Egon' hoc non facerem?* nihil aliud potest esse nisi: *ich hätte das nicht thun sollen?* ('iussiv. praet.'); nullo pacto secundum Plautinum et Terentianum usum ad praesens tempus illa forma h. l. spectare potest.

scriptum posteaque a librario in contextum esse insertum [1]). Sed utut est, certe forma *fecerim* (pro qua Dziatzko recte mavult *faxim*) a genuina lectione est aliena.

8. Ad. 827 *video eos sapere, intellegere, in loco Vereri, inter se amare: siris liberum Ingenium atque animum: quovis illos tu die redducas.*

Siris coni. Madvig (Adv. crit. II. p. 21 sq.): quem secutus est Dziatzko, nisi quod praefert *seiris* formam, quae *propius ad cod. scripturam accedit* (adn. crit. ed. Tauchnitz. a. 1884). In commentario edit. Teubner. (a. 1881): seiris (*für* siris), inquit, *ist potent. Perfekt; es folgt potent. Praesens* (redducas). Addit tamen: *Oder wir haben* seiris *als Futurum exactum aufzufassen, auf welches der Imperativ folgt im Sinne eines Futuri* e. q. s. *scireet* cod. A, *scire est* rec. Call.: quam lectionem defendit Spengel in Adelph. editione [2]); *scires* coni. Lachmann (Lucr. p. 297), quem secuti sunt Fleckeisen, Umpfenbach alii.

Haud dubie verum assecutus est Lachmann. Nam loci sententia requirit 'potentialem praeteriti': *wenn du gewollt hättest, hättest du auch ein hochherziges Naturell bemerken können* [3]). In eandem sententiam se iudicare Luebbert humanissime mecum communicavit. — Sane saepenumero perf. coniunctivus *siverim* (*sierim, sirim*) positus est ad futurum (vel praesens) significandum: sed semper est vetantis vel optantis, numquam leniter contendentis. Haec exstant exempla:

---

[1]) Fortasse tamen *feci* erat perversum glossema ad vocem *ita* spectans: quo in textum inlato *faciam* (propter *feci*) mutatum est in *facerem.* Hoc posito versus sic fere restituendus est: *Ego hóc homunció non faciam? Ego íllud vero ita ác lubens.*

[2]) *Scire est* = ἔστι γνῶναι; sed conf. Dziatzko a. h. l. — A Graecis desumpta est ea infinitivi cum voce *est* (= *licet*) coniunctio; in deliciis erat Ovidio aliisque inferioris temporis poetis. Conf. quae Dan. Heinsius ad Ovid. art. am. II, 28 et Roensch (Itala u. Vulgata s. v. *est*) adnotarunt.

[3]) De imperfecti *scires* significatione vide etiam Draeger I p. 308.

a. in comprecandi formulis: Plaut. Bacch. 468, Merc. 323. 613 (*ne di siverint* s. *seirint*), Curc. 27 (*nec sirit Iuppiter*);

b. in vetando: Pacuv. 201 R. (*neu . . sieris . . divexavier*), Cato d. agr. 4 (*ne siveris peccare*), Plaut. Bacch. 402, Epid. 400, Most. 401 (*cave siveris* s. *seiris*);

c. praecedentibus *ut* vel *ne* particulis Plaut. Poen. 953 (*veneror, ut . . . siritis*), Trin. 521 (*dico ne tu illunc agrum tuom seiris umquam fieri*), Cato d. agr. (*Mars pater te precor . . . ut tu fruges . . . grandire beneque evenire siris;* cf. Luebb. I. 32.)

9. Lucil. V, 11 Muell. *ut periisse velis, quem visere nolueris, cum debueris: hoc nolueris et debueris* e. q. s.

Aut *nolueris* est futurum exactum, aut coniunctivus ex 'attractione modorum' ortus est. (Fortasse tamen hoc exemplum ad perfectum logicum referendum est.)

Denique de forma *faxo* cum coniunctivo perfecti iuncto quaedam adicienda sunt. Atque Madvig l. s. s. p. 78 sq. verisimillimum reddidit *faxo* semper cum indicativo futuri exacti, numquam cum perf. coniunctivo coniungi. Sane pro explorato id non habemus, quod exemplum primae personae deest[1]). Sed poni posse indicativum (futuri exacti) futuri simplicis exemplis probatur. Atque adeo multo maiore veri specie agnoscimus indicativum (fut. ex.) quam coniunctivum (perf.): nam indicativus (fut. simpl.) tantâ exemplorum frequentiâ superat coniunctivum (praes.)[2]), ut Madvig quidem ubique futurum simplex (pro praes. coni.) restituere conatus sit. Qua in re etsi se ipse videtur esse frustratus[3]), tamen nescio an propter fre-

1) Exempla huc pertinentia sunt: Plaut. Aul. 578, Capt. 801, Men. 521, Poen. I 2, 133 (346), Trin. 60.

2) Madvig l. s. s. p. 77 not. 2, Luebbert I p. 101 sq.

3) Vide G. Hermann, De Io. Nic. Madvigii interpretatione quarundam verbi latini formarum (progr. Lips. a. 1843) p. 13, Fleckeisen, Philol. II (1847) p. 102 sqq.

quentiorem indicativi (fut. simpl.) usum probabilius ad futurum exactum quam ad perf. coniunctivum exempla de quibus ambigitur referamus. Ceterum fac coniunctivum esse agnoscendum, tamen modus non erit potentialis i. e. leniter contendentis, sed volentis et propositum exsequentis (coni. finalis), eodemque modo perfecti coniunctivus positus erit atque in sententiis finalibus: vide supra p. 4. not. 7. — Haec non infringuntur eis, quae Brix ad Trin. v. 63[1]) adnotat: Dederis [v. 60], obrepseris [v. 61] (*Coni. perf.*) *und* nescias *sind die Nachsätze . . . zu einem aus 59 zu entnehmenden Vordersatze:* si commutaverimus. *Auch hängen* dederis *und* nescias *nicht von* faxo *ab, sondern sind selbständige coni. potent.* (*δοίης ἄν, οὐκ ἂν ἀγνοοίης*). Atque ad Capt. v. 789 (801 Fl.), ubi cetera exempla ad futuri II. indicativum refert, *dederis* et *obrepseris* statuit esse coniunctivos potentiales *im Nachsatze zu einem Bedingungsgliede* (si commutaverimus) *bei Setzung eines gedachten Falles:* conf. eiusd. verba ad Trin. v. 474. Sed primum semper in enuntiatis condicionalibus, quorum protasis praesentis vel perfecti coniunctivum (h. l. *commutaverimus*) continet, coniunctivum *faxim*, non fut. ex. *faxo* adhibitum invenimus[2]). Deinde omnino opus non est de re solo arbitrio sumpta nostro loco cogi-

---

1) Vv. 59—63 Brix sic edidit:

Call. *Vin commutemus? tuam ego ducam et tu meam?*
Faxo haud tantillum dederis verborum mihi.
Meg. *Namque enim tu, credo, me imprudentem obrepseris:*
Nam nunc si ignotam capiam, quid agam, nesciam.
Call. *Ne tu hercle faxo haud nescias, quam rem egeris.*
Conf. tamen Vahlen Herm. XV p. 257 sq.

2) Nam in Plaut. Men. versu 114. *si . . . faxis, faxo* illud *faxis* non est perf. coni., sed futuri II. indicativus. Atque Pseud. 949 (ubi cum Lorenzio *si efficies* scribo) et Trin. 881 *(si percontabere)* habemus futurum I. (non praes. coni.) in protasi. Ceteris locis oratio non est hypothetica, sed absoluta: etiam in Trin. v. 63 *(faxo haud nescias)*: nam licet Brix condicionem h. l. mente intellegendam esse censeat, tamen num ea animo poetae praesens obversata sit, admodum dubitari potest.

tare: nam per iocum Callicles rem tamquam re vera efficiendam accipit (= *lasst uns nur tauschen! Ich wette, du wirst mich nicht anführen!*). Nihil igitur impedit, quominus etiam loc loco futuri II. indicativum agnoscamus.

Vidimus igitur, quemadmodum apud priscos scriptores primordia ac quasi incunabula appareant eius perfecti potentialis usus, qui posterioribus temporibus tritus ac pervulgatus fuit. Atque ut omnino futuri temporis usus latissime patebat illa aetate, sic etiam perfecti in *-erim* modus potentialis prope ad futuri exacti notionem accedebat, praesertim cum breviores formae ad proprium 'aoristi' temporis potentialem significandum praesto essent. Quae tamen quo magis post Plauti aetatem obsolescebant, eo celerius alterae formae in earum locum succedebant. Hoc igitur modo etiam potentialis formarum in *-sim* usus paulatim translatus est ad formas in *-erim* exeuntes. Quod eo facilius fieri poterat, quo frequentius iam prisci in vetando eas usurpaverant. Causae autem, cur pleniorum formarum usui potentiali quasi civitas daretur a Romanis, altius repetendae videntur. Progressu enim temporis rustica et incomposita Latini sermonis natura tanto magis mitigabatur, quanto humaniora fiebant vitae instituta moresque elegantiores. Accedebat, quod praeter plebeium loquendi genus cotidianae vitae accommodatum paulatim sermo urbanus excolebatur: isque maxime in nobilium familiarum, velut Scipionum, circulis vigebat. Quem politiorem sermonem in litteras primus induxit Terentius[1]) adiuvantibus nobilissimis rei publicae civibus[2]). Sed ne ea

---

1) Ter. Haut. prol. 46: *In hac* [fabula] *est pura oratio.* Caesar (vide Sueton. vit. Ter. p. 34, 9 R) poetam nominat *puri sermonis amatorem.* Ciceronis iudicium vide ad Att. 7 3, 10.

2) Vide Adelph. prol. v. 15 sqq. Conf. Schmalz in 'Handb. d. kl. Altertumsw.' II p. 241.

quidem aetate potentialis perfecti activi ultra angustos suos terminos progressus est. Id tum demum fieri potuit, cum Graecae elegantiae imitatio ad ipsum sermonem conformandum procedebat i. e Ciceroniana aetate [1]). Graecis enim litteris politi et exculti Romani magis magisque propensi et apti fiebant ad Graeci sermonis venustatem ac subtilitatem et aestimandam et in propria lingua imitandam. Atticis autem urbanum affirmandi genus quod fit per optativum cum ἂν particula iunctum mirum in modum placuisse quis est qui nesciat [2])? Quapropter permirum foret, si is, qui ad summam elegantiam latinitatem adduxit Atticaeque urbanitatis amantissimus ac peritissimus fuit, dico Ciceronem, potentiali modo non esset usus tamquam adminiculo, quo sententias iudiciaque leniore quodam et blandiore orationis vestimento indueret. Atque ut non modo praesentis, verum etiam perfecti potentialem in suum usum converteret suaque arte excoleret, nescio an incitatus sit exemplo et comparatione Graeci aoristi. — Nec tamen omnes Ciceronis aequales Graecis studiis favisse constat: superstites erant quidam veteris temporis laudatores et defensores, qui et antiquum sermonis genus colebant et Graecorum imitationem expellere studebant. Quo in numero imprimis habendi sunt Varro et Lucretius [3]). Atque etiam Sallustius, quamvis enixe ad Graeca studia incumberet, non tam ad Graecorum, quam ad priscorum Latinorum, imprimis Catonis, exemplum elocutionem conformavit. Quo factum est, ut cum Ciceroni aliisque iam usitatus esset perfecti potentialis, Varro, Lucretius alii eum spernerent. Facile igitur

---

1) Licet iam in Planti et Terentii elocutione quaedam Graeci sermonis idiomata deprehendas, tamen ea ad totum dicendi colorem immutandum nihil momenti adferunt.

2) Conf. L. Schmidt, De tractandae syntaxis Graecae ratione (Marb. 1870) p. 16.

3) A Graecis nihil sumpsit nisi philosophicam rationem. Ex Latinis scriptoribus Ennium ad imitandum sibi proposuit.

perspicitur, cur Lucretius quidem nullum exhibeat exemplum [1]). Varro autem semel in libris, qui supersunt, eo coniunctivo usus est, et quidem in eo opere, quod summa aetate (LXXX annos natus) de re rustica conscripsit: *Non negarim, inquam, ideo apud divae Ruminae sacellum a pastoribus satam ficum* (II, 11, 5). Nec plus unum exemplum exhibet Sallustius: *de iis haud facile compertum narraverim* (Iug. 17, 2) [2]).

Atque etiam Cornificius rarissime admisit illum perf. coni. usum: animadvertendum tamen est 'pluralem modestiae', cuius apud antiquissimos scriptores vestigium est nullum, non alienum esse ab hoc rhetore: *nos quidem unam de quinque rebus plurimum posse non facile dixerimus; egregie magnam esse utilitatem in pronuntiatione, audacter confirmaverimus* (III, 9, 19) [3]).

Quid quod etiam in Ciceronis scriptis prioribus non tam frequens est ille modus, quam in posterioribus? Atque in libris de inventione scriptis nullum inveni exemplum.

---

[1]) Apud Catullum unum legitur exemplum: *Dixerit hic aliquis* (67, 37). Logicum perfectum exstare puto carm. 10, 32 *Utor tam bene quam mihi pararim.* Ceterum animadvertendum est eos poetas, qui non tam in meditatione et iudiciis sobrie faciendis versantur, quam inflammato pectore vehementes animi concitationes et affectus carminibus effundunt, etiam inferiore aetate parcius usos esse potentiali. Horatius exhibet: carm. I 6, 14 *Quis Martem tunica tectum adamantina digne scripserit?*, ib. II 13, 5 *Illum et parentis crediderim sui fregisse cervicem,* sat. I 5, 44 *Nil ego contulerim iucundo sanus amico.*

[2]) Ibid. 85, 47 *capessito rem publicam, neque quemquam ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia metus ceperit,* coniunctivus est hortativus. Non tetigissem hunc locum, nisi Kuehner Lat. Gr. II p. 133 in potentialis modi exempla eum rettulisset. Ceterum ipse paulo infra (p. 140) idem exemplum coniunctivi iussivi generi attribuit addens: *ein stärkerer Ausdruck* [scil. *neque ceperit*] *für: neve propter calamitatem aliorum metueritis.*

[3]) Schmalz l. s. s. hoc exemplum praetermisit: notandum tamen eundem in 'Handb. d. kl. Altertumsw.' II p. 258 docere haec: dixerimus *erst seit Cornific. u. Cic., häufiger im Spätlatein.*

In orationibus Cicero perfecti potentialem posuit primo[1]): d. lege agr. II. c. 12 (a. 691./63.) *Dixerit enim fortasse quispiam;* p. Mur. 29, 60 (a. 691./63.) *verissime dixerim peccare te nihil neque ulla in re esse huiusmodi, ut corrigendus potius quam leviter inflectendus esse videare;* in epistulis: ad Att. II, 2, 2 (a. 694./60.) *O magnum hominem! a quo multo plura didiceris, quam de Procilio;* ad fam. VII, 11, 1 (a. 701./53.) *Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent;* in philosophicis libris: de rep. I. c. 3 (a. 700./54.) *haud facile dixerim, cur* e. q. s., c. 4 *non dubitaverim me gravissimis tempestatibus . . . obvium ferre,* c. 40 *Quis enim te potius aut de maiorum dixerit institutis . . . aut de optimo statu civitatis?* II. c. 26 *Quis enim hunc hominem rite dixerit?* e. q. s., III. c. 33 *nullam quidem citius negaverim esse rem publicam quam quae tota sit in multitudinis potestate.*

Ceterum philosophica scripta aeque ac rhetorica[2]) — si discesseris a libris de inventione ineunte aetate confectis — praeter cetera exemplorum frequentia sunt in-

---

[1]) In prioribus orationibus nonnumquam futurum I. in similibus sententiis usurpavit: quem quidem usum etiam postea retinuit. *Quaeret fortasse quispiam* p. Cluent. c. 52; *quaeret quispiam* d. leg. agr. II c. 8, p. Arch. c. 7; *dicet aliquis* Verr. II 2 c. 24; *nam si quis hoc forte dicet* p. Mur. 29, 66; *dices* Verr. II 1 c. 22; *fortasse dices* p. Caec. c. 13. Coniunctivus praesentis est positus: 1. cum particula *forsitan* iunctus: *forsitan quaeratis* p. Rosc. Am. 2; *forsitan hoc tibi veniat in mentem* p. Rosc. C. c. 13; *nonnulla forsitan conformare et leviter emendare possim* p. Mur. 29, 60; *forsitan meliores illi accusatores habendi sint* Verr. II 1 c. 38. II. deest *forsitan: Nam vere dicam Quirites* d. l. agr. II c. 5; *Scire ex te pervelim* p. Sull. 7, 32; *si quis mihi hoc iudex dicat* p. Caec. c. 3.

[2]) Libri de oratore scripti haec exempla praebent: I 9, 36 *Quis enim tibi hoc concesserit?* II 19, 79 *Quis enim hoc non sua sponte viderit neminem posse dicere?* (fortasse fut. ex.); II 72, 294 *Quod forsitan aliquis iure inriserit;* II 73, 295 *Me vero lubente . . . dixerit;* III 3, 9 *Quis enim non iure beatam . . mortem illam . . . dixerit?* III 38, 153 *Neque enim illud fugerim dicere.*

signes. Respiciendum sane est non solum rebus ibi tractatis maxime convenire iudicandi rationem cautam et moderatam, verum etiam Ciceronem longius aetate provectum, cum scribendi suam artem iam plane excoluisset, ad illos libros conscribendos se contulisse.

Ut Ciceronis sic etiam Caesaris libri tantum habent urbanitatis et elegantiae, ut paene Attico stilo perscriptae esse videantur. Eo magis potest mirum videri, quod belli Gallici civilisque commentarii nullum perfecti potentialis exemplum exhibeant. Cuius tamen rei quae sit ratio non ita difficile est cognitu. Nam primae personae potentialem ne potuit quidem ponere scriptor, quoniam in enarrandis rebus a se ipso gestis semper tertia utitur persona: prima (ad se ipsum significandum) non posuit nisi in huiusmodi enuntiatis: ac plerumque exstat numerus pluralis, veluti *ut supra demonstravimus* (b. G. V. c. 19, VI. c. 34, VII. c. 76), *de quibus supra scripsimus* (ib. II. 15), *quam* [famam] *supra docuimus* (b. c. III. c. 80)[1]; rarissime singularis invenitur: *Caesar his de causis, quas commemoravi* (b. G. IV. c. 17); *quem* [Commium Atrebatem] *supra demonstraveram a Caesare in Britanniam praemissum* (ib. 27). Quod autem secundae et tertiae personae desunt exempla, ex sermonis proprietate facile explicatur: Caesar paene Thucydideo more est *ita verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis inlustrentur*[2]. Neque haeret scriptor in rebus iudicandis et contemplandis, sed ipsa facta quasi locuntur resque quasi gerantur sub aspectum paene subiciuntur.

Cum igitur Ciceroniana aetate non ita valde increbresceret

---

[1]) In primario enuntiato eiusmodi verba duobus tantum locis occurrunt: b. c. III c. 10 *Demonstravimus L. Vibullium Rufum bis in potestatem pervenisse Caesaris;* ibid. c. 17 *Quibus rebus neque tum respondendum Caesar existimavit neque nunc ut memoriae prodantur satis causae putamus.*

[2]) Cic. d. or. II 13, 56: ubi ad Thucydidem id iudicium spectat.

potentialis modus perfecti, magno opere augebatur et amplificabatur hic loquendi usus inde ab Augusti tempore: vide supra p. 5. Ac nescio an ad frequentandam hanc modestam et quasi verecundam iudicandi rationem, quae fit per dictionem potentialem, aliqua ex parte impulsi sint homines sensu quodam nimis submisso ac paene servili, quo magis magisque assuefiebant ex imperiosa et superba Caesarum dominatione.

§. 6.

De perfecti deponentium et passivi generis coniunctivo potentiali.

Hoc potentialis modi genus ut apud posterioris aetatis scriptores sic in prisca latinitate raro occurrit. Sed tamen cum postea verbum deponens paulo usitatius fuerit quam passivum [1]), apud priscos scriptores hoc discrimen in condicionalibus saltem enuntiatis non cernitur. Atque in protasi condicionali perfecti coniunctivus verbi et deponentis et passivi (perinde atque activi) positus est pro futuri exacti coniunctivo. Apodoseos autem nullum inveni exemplum. Contra in enuntiatis condicione non adstrictis duo inveniuntur exempla: id sane mirum videri potest, quoniam activi perfecti coniunctivum *r* littera fictum numquam ita usurpatum esse ostendimus. Quae res quomodo sit expedienda, infra videbimus. — Omnibus locis participio additum est coniunctivus praesentis verbi substantivi (*sim sis sit* [*siet*] *simus sient* [2]); non invenitur *sitis* [3])) uno loco Lucretiano

---

1) Vide Zumpt. L. Gr. §. 528, 1; Madvig l. s. s. p. 109; Krueger L. Sprachl. p. 611 (§. 457). not. 1. in marg. inf. (Kuehner L. Gr. II. p. 132: *der Konj. des Deponens*, inquit, *kommt selten vor.* Sed ipse plura deponentium exempla adfert quam passivi generis.)

2) Semel pro *sient* legitur *fuant.*

3) In vetando haec pers. posita est Liv. V 53, 3 *nec id mirati sitis, priusquam quale sit audieritis:* Schmalz l. s. s. p. 349 hunc locum minus recte ad potentiale genus refert.

excepto (III, 845 *si . . . fuerint data lumina vitae*): ubi perfectum positum est, quo acrius exprimeretur 'praeteritum in futuro'.

I.

In protasi condicionali occurrunt

I. haec verba deponentia:

Plaut. Epid. 619 *Ego te servabo.* || *Edepol ne illi melius, si nancti fuant.*

Pseud. 336 *Ex tua re non est, ut ego emoriar.* || *Quidum?* || *Sic: quia, Si ego emortuos sim, Athenis te sit nemo nequior.*

Pseud. 981 *Credo, in tenebris conspicatus si sis me, apstineas manum.*

Pseud. 1070 *Roga me viginti minas, Ille hodie si illa sit potitus muliere, Sive eam tuo hodie gnato, ut promisit, dabit*[1]).

'Attractione modorum' coniunctivus effectus videtur praecedente particula *ubi:*

Trin. 496 *Mirum quin tu illo tecum divitias feras: Ubi mortuos sis, ita sis, ut nomen cluet.*

II. Passivi generis exempla[2]):

a. Leg. XII. tab. fr. VIII, 11 Schoell *Si nox furtum factum sit, si im occisit, iure caesus esto.*

Plaut. Asin. 785 *Post si lucerna exstincta sit, ne quid sui Membri commoveat quicquam in tenebris.*

extincta sit Z, Fleckeis., Goetz-Loewe; *extincta est* BDEJF; *erit* Ussing.; *sit* confirmatur coniunctivis *sit* (v. 764), *occepsit* (v. 784).

---

1) Vide Lorenz a. h. l. (v. 1053 eius edit.)

2) Participium ad adiectivi naturam proxime accedit his locis: Enn. ann. 585 Muell. *Non si lingua loqui superet, atque ora decem sint In me tum* [= *atque;* cf. Muell. a. h. l.] *ferro cor sit pectusque revinctum;* Lucil. XIV, 6 *Si mihi non praetor siet additus atque agitet me, Non male sit ille ut dico me exenterat unus* (conf. Verg. Aen. VI 90 [*Teucris addita Iuno*], Macrob. VI 4, 2).

Aul. 749 *Postid si prehensi simus, excusemus ebrios Nos fecisse.*

Cas. III, 6, 15 *Quid nunc? quam mox recreas me ere?* || *Cena modo si sit cocta.*

Men. 164 *Captum si siet collegium Cuo . . s . . ata . . .* (Hae tantum litterae in cod. A legi possunt.)

Enn. ann. 439 Muell. *Si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux.*

Cato d. agr. III, 2 *olla ubi lecta siet, fiat.*

'Attractio modorum' hoc loco statuenda videtur:

Plaut. Poen. I, 1, 19 (147) *Si auctoritatem postea defugeris, Ubi dissolutus tu sies, ego pendeam.*

b. Lucr. III, 845 *Nec si materiem nostram collegerit aetas Post obitum . . . Atque iterum nobis fuerint data lumina vitae, Pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum* [1]).

De forma *fuerint* vide supra. Prorsus legitima est ratio huius loci Varroniani: r. r. 1, 60 *orchites nigras, sale si sint confricatae dies quinque, et tum sale excusso, biduom si in sole positae fuerint, manere idoneas solere* [scil. *scribit Cato*].

Positus h. l. paene est pro adiectivo, quare vertas oportet: *wenn sie gelegen haben werden,* non: *wenn sie gelegt sein werden.* Conf. Liv. XXVII, 23, 18 *si . . cunctatus fueris* [2]).

III. Supersunt quaedam exempla (praeter illum Varronis locum) in oratione aliunde suspensa obvia:

Attius 310 Ribb. *At contra, quantum obfueris, si victus sies, Considera, et quo revoces summam exerciti.*

Ter. Adelph. 282 *Obsecro te hercle, hominem istum impurissumum Quam primum absolvitote, ne, si magis inritatus siet, Aliqua ad patrem hoc permanet.*

---

[1]) Conf. contra *data sit* loco Enniano supra adlato.

[2]) De vocis *cunctatus* ratione conf. Neue[2] II p. 122.

Cato d. agr. III. *si corbes contritae sient, ut commutare possis*[1]).

II.

Non ex condicione suspensa, sed in absoluta oratione posita sunt duo exempla Terentiana:

1. Andr. 203 *Ubi vis facilius passus sim quam in hac re me deludier*[2]).

Sic rec. Call.; cod. A desideratur in hac fabulae parte.

2. Adelph. 443 *Haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice.*

haud scio mali (*scio* in rasura) D et Donati ed. princ. in lemmate.

Quaeritur, qui factum sit, ut perf. potentiali verborum deponentium usus sit Terentius, cum in activo genere solas formas sibilantes (velut *faxim*), non formas in *-erim* desinentes (velut *fecerim*) prisci scriptores ita usurpaverint. Etenim cum sibilantibus formis praeteriti notio desset, non tam ad harum quam ad pleniorum in *-erim* formarum analogiam coniunctivum perfecti passivi pro praesentis (vel futuri) potentiali usurpatum esse nonnulli existimant[3]).

---

1) Cum particula *ubi* propter obliquam orationem coniunctivus consociatus est: Plaut. Aul. 229 *in mentem venit, Te bovem esse et me asellum: ubi tecum coniunctus siem, Ubi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto.* Ter. Phorm. 413 *Itan tandem quaeso item ut meretricem ubi abusus sis, Mercedem dare lex iubet ei atque amittere?*

2) *Diese [Stelle] mag das Vorbild für Vergil. Georg. 3, 141* non illas quisquam saltu superare viam sit passus *abgegeben haben, während sich wohl nach Vergil zunächst Vell. Pat. 1, 18, 2* miratus sim *und in späterer Zeit Macrob. Sat. 1, 24, 14* precatus sim *richteten* (Schmalz Tabul. lexicogr. I p. 349). Alterum Terentii locum (Ad. 443) Schmalz omisit. — *Passus sim* legebatur in antiquioribus editionibus etiam Cic. Tusc. I 23 §. 55 *nisi quid habes ad haec.* || *Ego vero facile sim passus* (sic. cod. C) *ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire.* Orelli restituit *sum passus.*

3) Conf. Madvigii sententiam l. s. s. p. 107.

Sed primum reputemus oportet Terentium sermonis conformatione testibus Cicerone et Caesare aequalibus scriptoribus aliquantum praecucurrisse et aliqua ex parte accessisse ad Ciceronis aetatis sermonem. *So gross der Unterschied zwischen der Sprache der . . . beiden Komiker ist, so bedeutend ist anderseits die Aehnlichkeit in der Diktion des Cicero und Terenz*[1]. Quod igitur Terentius in potentiali modo usurpando longius quam alii eius aetatis scriptores processit, mirum non est. At qui fieri potuit, ut in activo genere perf. potentiali *r* littera insigni abstineret, admitteret contra in passivo eiusdem temporis potentialem? Equidem duo illa exempla multo propius ad perfecti praesentis naturam quam ad 'historici praeteriti' (s. 'aoristi') potentialem accedere censeo. Etenim prioris quidem loci sententiam hanc esse puto: *In jeglicher Lage mag ich leichter Lug und Trug in Geduld ertragen haben, als ich es jetzt in diesem Falle ertragen würde.* Praesenti igitur vel futuro non utitur Simo senex, quia res praeteritas comparat cum re instanti. Participium autem perfecti cum *sim* coniunctum ad eam rationem significandam idoneum videbatur, quoniam constat ex praeterito et praesenti. Quam ob rem *passus sim* potius perfecti praesentiae vim adsiscere, quam ad solum futurum spectare videtur. Quam rationem etiam clarius cognoscere licet in Adelphon versu. Etenim Demea senex Hegionis probitatem honestatemque collaudans iudicium facit multorum annorum experientia probatum: nam, ut ipse illo loco pronuntiat, a puero familiaritate coniunctus erat cum hoc homine *antiqua virtute ac fide* (v. 442). Quem virum optime moratum futuro tempore in eadem mente, qua antea fuerit, perseveratu-

---

[1]) Schmalz 'Handb.' II p. 241. — Licet potentialis perf. pass. apud Ciceronem non reperiatur, tamen in vetando saepius perf. pass. coniunctivus pro praesenti positus est: e. g. p. Mur. 31, 65 *commotus ne sis;* conf. Kühner L. Gr. II p. 143. Atque ab eodem in finali enuntiato d. off. II 10 *Sed ne quis sit admiratus* dictum est pro: *ne quis admiretur.*

rum esse, id Demea nostro versu significare vult. Duplex igitur notio praeteriti et futuri comprehenditur uno verbo *ortum sit.* Accedunt igitur haec duo exempla Terentiana prope ad similitudinem coniunctivi qui est *actum sit*[1]) (Haut. 456; conf. supra p. 15. 20.).

Sane in activo genere perfecti praesentiae potentialis positus esse non videtur: vide supra p. 16 sqq. Sed passivi perfecti coniunctivus facilius quam activi in hunc modum usurpari potuit, quia in forma v. c. *fixus sim* praesentis natura aperte expressa est addito coniunctivo *sim.* Accedit, quod participium in *-tus* (*-tos*, gr. *-τος*)[2]) in prisca latinitate nondum plane transierat in praeteriti naturam. Hoc enim participium *initio inter praesens et praeteritum medium fuisse, liquet ex* operatus *et* feriatus, *quae praesentium locum obtinent*[3]).

Eodem pertinet, quod antiquissimi saepenumero formas *fui fueram fuero* pro *sum eram ero* cum participio in *-tus* consociabant[4]).

3. Incerta est ratio huius loci Varroniani: Sat. Men. p. 222, 3 R *In charteo studio ἐπιτάφιον ago ἀγῶνα, quom qui certassit animo, bellus homo, magis delectatus* [*sit*] *Stoicorum pancratio, quam athletarum.*

quo quis codd.; *quom qui* Riese; *quo qui . . . delectatur* Gerlach, *sit* supplevit Vahlen. Luebbert I. p. 53 vertit: *Da*

---

1) Etiam indicativus *(actum est)* ad rem futuram spectat Ter. Eun. 717 *Actum est, si quidem tu me hic etiam, nebulo, ludificabere.*

2) Conf. e. g. Iolly, *Zur Lehre vom Particip. (in 'Sprachwissensch. Abhandl. aus G. Curtius' Gramm. Ges.'* Lips. 1874) p. 75 sq. 78 sqq. 86.

3) Madvig l. s. s. p. 107.

4) Exempla praebet Neue II p. 356 sq., Madvig l. s. s. p. 224, Brix et Lorenz ad Mil. v. 102, Brix ad Trin. 383, Lor. ad Most.[2] 694; conf. Haase ad Reis. schol. adn. 447. — De posterioris sermonis consuetudine conf. Madvig l. s. s. p. 218 sqq., Kühnast Livian. Syntax p. 204, Neue II p. 355 sqq., Draeger I p. 276 sqq. — Participium perf. pass. secundarii enuntiati vice fungens etiam apud priscos scriptores, id quod negat Draeger II p. 776, aliquotiens praesentis notionem adsciscit; conf. Plaut. Amph. 964 *(ratus),* Asin. 878 *(amplexus).*

ein Biedermann, welcher stets mit sich kämpft, sich wohl mehr ergötzen wird[1]).

Fortasse scribendum est, cum codices *sit* omittant: *quom qui certassit . . . delectetur.*

4. Denique 'attractione modorum' coniunctivus effectus est: Ter. Hec. 65 *moneo et hortor, ne quoiusquam misereat, Quin spolies mutiles laceres, quemque nacta sis.*

Caput tertium.

Quibus rationibus priscus perfecti coniunctivi usus potentialis explicandus sit.

§. 1.

Cur perfecti modus potentialis a structura condicionali initium ceperit.

Quoniam quae propria sunt in prisca latinitate perfecti modi potentialis exemplis omnibus excussis et explicatis, quantum in nobis quidem situm erat, inlustravimus, iam ad postremam eamque graviorem disputationis partem accedendum est, qua illarum prisci usus proprietatum aptas causas et rationes reddere conabimur.

Primum quaerendum est, cur tandem ab ipsis condicionalibus enuntiatis perfecti modus potentialis principium duxerit. Casu enim id factum esse vix credi potest. Equidem eius rei rationem in interna cognatione positam esse censeo, quae intercedit inter universi generis hypothetici naturam et potentialis modi proprietatem. Quin etiam tota dictio potentialis originem videtur duxisse a struc-

1) Accipit igitur Luebbert *delectatus sit* pro modo potentiali, ita ut prisco more coniunctivus non tam ex *quom* particula sit aptus, quam per se constet.

tura hypothetica. Nam quae non pro veris affirmantur, sed dubitatione aliqua et haesitatione proferuntur, ea semper ex condicione aliqua pendeant necesse est, sive haec in rebus externis posita est, sive ex ipso animo et consilio loquentis est suspensa. Eam condicionem initio pro simplici vetustissimorum hominum loquendi ratione semper verbis expressam esse credendum est. Postea autem crescente magis magisque cogitandi et dicendi subtilitate illa condicio in eis enuntiatis saepe non addebatur, in quibus ab audientibus vel legentibus ex sententiarum nexu facile percipi poterat. Sed quo magis haec loquendi proprietas in consuetudinem veniebat, eo facilius fieri potuit, ut eiusmodi affirmationes vel iudicia cum dubitationis nota (i. e. coniunctivo modo) etiam proferrentur, ubi condicio menti ipsius loquentis non tam distincta obversaretur, quam lateret quasi et dormiret in animo. Veluti dicendi formula *dicat aliquis* hoc fere valet: *si quis hanc rem minus diligenter perpenderit, dicat.*

Hoc confirmari videtur eo, quod in prisca latinitate non modo perfecti coniunctivus, verum etiam potentialis modus praesentis et praeteriti (velut *scires* Plaut. Curc. 331) multo rarius extra hypothesin occurrit, quam apud inferioris aetatis scriptores. Atque etiam ex similitudine Graeci modi potentialis i. e. optativi cum *ἄν* particula coniuncti idoneum argumentum repeti potest. Constat enim *ἄν* particulam — licet nativa huius voculae vis nondum satis explorata sit — semper spectare ad condicionem aliquam modo verbis expressam modo mente intellegendam [1]).

§. 2.

De perfecti coniunctivo in enuntiatis absolutis posito.

Facilis ad explicandum est ea quaestio, cur in enuntiatis absolutis i. e. non hypotheticis solae formae per *-s* fictae, non pleniores in *-erim* occurrant. Namque illae pro-

1) Conf. e. g. Brugmann 'Handb. d. kl. Altertumsw.' II p. 102.

pria sua natura atque origine praecipue idoneae erant ad futurum potentiali modo significandum. Antiquissimae enim aetatis homines propter incertam et occultam venturi temporis rationem futuras res non tamquam effectas et praeteritas mente fingebant (quae vis inest in futuro exacto), sed rem simpliciter denotasse et per cogitandi modum i. e. coniunctivum[1]) modeste protulisse satis habebant. Atqui formae *r* littera fictae nimis expressam habebant rei exactae et praeteritae notionem. Ergo solas breviores formas ad futuri modum potentialem significandum a priscis Latinis usurpatas esse non est quod miremur.

§. 3.

De ratione perfecti coniunctivi in apodosi condicionali positi.

Alia ratio atque in absolutis enuntiatis locum habet in primariis enuntiatis condicionalibus, ubi numquam (exceptis tritissimis voculis *faxim* et *ausim*) breviorem, semper pleniorem formam inveniri vidimus. Atque in hac quoque re apparet Latinae linguae subtilitas. In apodosi enim actio verbo expressa non per se et absolute constituitur, sed vel plane vel ex parte apta est ex protaseos condicione, ita ut utriusque membri actio modo eodem fiat tempore, modo diverso, utque res consequens modo sit praeteriens, modo in statu aliquo manens: ad has autem rationes significandas breviorum formarum vis ac natura non erat apta. Namque eis futuri temporis momentum, ubi aliquid ad realitatem adducitur, simpliciter significatur, neque actio eis designata alius actionis tempore ullo modo est definita et circumscripta[2]): vide

---

[1]) vel potius per optativum, quoniam v. c. *faxim* (= *faxiem*) 'aoristi' optativus esse videtur.

[2]) Ut perf. coniunctivus in *-sim,* sic ne futurum quidem per *-s* fictum (excepta prima sing. persona) tam longe progrediebatur in significanda actione in futuro praeterita, quam futurum per *-r* formatum. *Nam,* inquit Madv. p. 80, *neque in re, quam simul cum altera absolutum iri putamus,*

Madvig l. s. s. p. 80 sq., Luebbert I. p. 80—95. Breviores igitur formae ab apodosi exclusae sunt

a. ubi effectus vel eventus indicatur durans et in statum aliquem traductus.
b. cum apodoseos actio, dummodo protaseos condicio pro vera sit concessa vel ad effectum sit adducta, tamquam celeriter et certo subsecutura cogitatur (velut Plaut. Epid. 258, Ter. Hec. 424).
c. cum res apodosi expressa ita in protaseos actione est inclusa, ut simul cum hac absoluta futura sit: Madvig p. 80. 84, Luebbert I. p. 85, cf. supra p. 26.

Velut in Casinae v. II, 7, 1 *si nunc suspendam me, meam operam luserim* (cf. supra p. 28) forma *lusim* nullo pacto poni potuit; nam illud operam ludere non est actio per se constans, sed est eventus fructusque actionis suspendendi[1]).

§. 4.

De ratione perfecti coniunctivi in protasi condicionali positi.

Quae rationes in apodosi usurpandis formis brevioribus obstabant, ea nihil valebant in protasi. Accedebat, quod eae formae etiam 'coniugationis periphrasticae' (*-urus sim*) partes sustinerent (cf. p. 13.). Tamen ne in protasi quidem magna est earum frequentia: frequentiores sunt formae *r* littera insignes. Atque earum in *-rim* formarum, quibus respondent sibilantes formae, in oratione directa et indirecta exstant exempla fere viginti duo. Contra formas in *-sim* desinentes omnino decem et septem locis inveniri vidimus. Denique verborum, quae breviore forma carent, exempla

---

neque in eventu futuro rei praeteritae, quae duo genera paulo ante [p. 78] *attigi, haec forma ponitur, quod ibi apertius adiuncta futuro praeteriti significatio est.* Conf. Luebbert l. s. s.

1) In eiusmodi enuntiatis ne futuri quidem indicativus per -*s* fictus locum habet: cf. p. 79 not. 2. *Pro eo, quod dicimus: si hoc feceris (faxis), magna me cura levaris, nemo dixit: si hoc feceris (faxis), magna me cura levassis.* (Madv. p. 80).

fere sunt triginta [1]). Quod autem pleniores formae longe numero superant breviores, hoc ex parte inde explicari potest, quod vis et ratio perfecti coniunctivi per *r* litteram ficti melius convenit protasi condicionem futuram continenti: nam verbi actio ibi saepe spectat ad 'praeteritum in futuro' (velut Plaut. Mil. 1363); quae notio aliena est a formis littera *s* insignibus. — Sane concedendum est eius rei non semper rationem esse habitam, ita ut formas breviores et pleniores in eodem orationis cursu promiscue usurpatas invenias, e. g. in syngrapho quodam a Diaboli adulescentis parasito conscripto qui exstat Asin. 751—807: *occepsit* 794, *aspexit* (non indic.) 770; contra *dixeris* legitur in vv. 800 et 806, *iusserit* 803 [2]).

Sed ad illam quam priore loco posuimus rationem accessit aliud quiddam, cur scaenici potissimum poetae nonnumquam pleniores formas brevioribus praeferrent. Pleniores enim, cum saepissime in dactylum vel creticum exirent, commodissimam numerorum clausulam in compluribus versuum generibus praebebant.

An fortuito accidit, ut apud Plautum [3]) illae formae paene omnes in versuum fine sint positae [4])? Atque inveniuntur haec exempla in clausula 1. senarii iambici: *iusserit* Asin. 803, *dixerim* Trin. 755, *dixerit* Asin. 800. 806, *circumduxerit* Bacch. 311, *acceperim* Trin. 695; 2. septe-

---

1) Sane reputandum est breviorum formarum numerum aliquantum augeri futuri per -*s* formati exemplis, cum id ipsum (excepta I. persona) semper rem condicione adstrictam, numquam vero sententiam per se positam significet: Luebbert I p. 8 sqq.

2) De forma *abalienarit* (764) mox dicam.

3) Solius Plauti rationem habeo, quoniam constat post eius aetatem magis magisque obsolevisse formas breviores (exceptis *faxim* et *ausim*): pleniores igitur solae locum obtinebant.

4) Omnino Plautus futuri II. et perf. coniunctivi formas in fine versuum ponere solebat: Brix ad Mil. v. 328 adn. crit., Meifart l. s. s. p. 23 sq. De similibus artificiis metricis conf. Conradt Herm. X 104 sqq., Brix ad Mil. v. 461, Dziatzko ad Adelph. vv. 55. 106.

narii trochaici: *dixeris* Bacch. 699, *duxeris* Trin. 692, *conspexeris* Asin. 878. Trin. 950, *parseris* Pers. 572, *olfeceris* Men. 163, *occeperim* Mil. 1363; 3. prioris coli septenarii iambici: *occeperint* Asin. 590, *perciderim* Pers. 283. Constat priorem iambici septenarii partem esse colon satis per se stans, cum hiatus et syllaba anceps in confinio quarti et quinti pedis sint concessa, atque etiam quartus pes simili numerorum lege atque pedes finales sit adstrictus. — Exceptionis locum unum obtinet exemplum: Capt. 599 *Quíd ais*[1]*? Quid si hunc cómprehendi iússerim.* || *Sapiás magis.* Forma *abalienarit*[2]) (Asin. 764), quae versus initium explet, pro exceptione habenda non est, cum non exeat in dactylum vel creticum. Sane quaerat quispiam cur tandem *abalienarit* scripserit poeta, cum a metrica ratione etiam liceret *abalienassit.* Sed aliam ob causam hoc quidem loco eligendi optio non fuit data. Nam diserte in hac condicione: *ni in quadriduo abalienarit* [sc. *inutilem picturam*] praestituta est dies, qua abalienatio exacta fore debet: *wenn sie nicht das Gemälde innerhalb einer Frist von vier Tagen veräussert haben sollte.* Formae vero in *-sim* exeuntes exprimunt incertum quoddam futuri temporis momentum nec ex ulla alia ratione aptum. Ac ne futurum quidem per *s* fictum (excepta I. sing. pers.) in eiusmodi sententia poni potest: nam licet id rem in futuro perfectam significet, tamen tempus rei perficiendae non certo constituitur: quare in legum potissimum condicionibus eae formae usurpantur[3].

---

[1]) *ais* om. libri, supplevit O. Seyffert.

[2]) Praeterea uno alio loco Plautino eiusmodi forma syncopa ficta spectat ad futurum tempus: Poen. II, 1 sq. *Di illum infelicent omnes, qui post hunc diem Leno ullam Veneri umquam immolarit hostiam;* ubi futuri exacti indicativum cognosco. Apud Terentium iam saepius eae formae breviatae leguntur.

[3]) Luebbert I p. 86: *Nicht die begriffliche Vollendung der Handlung ist also unbestimmt gelassen, sondern nur die zeitliche; nur die zeitliche Vollendung unterliegt hier der Bedingtheit des Seins. Der Geist*

§. 5.

Cur prisci scriptores perfecti modo potentiali raro usi sint.

Reliquum est ut quaeramus cur omnino apud priscos scriptores non modo pleniorum formarum, verum etiam breviorum usus potentialis tam angustis finibus circumscriptus sit, praesertim cum in aliis structuris, maxime in vetando, in optando, in oratione obliqua breviores formae satis frequenter sint usurpatae. Qua in re sane miri aliquid inesse videtur, quoniam cum propria sibilantis formae natura potentialis modi ratio vel maxime congruit. Sed nescio an huius rei causa posita sit in propria prisci et vulgaris sermonis ratione. Nam cum Ciceroniana aetate communi grammaticorum, oratorum, historicorum opera sermo urbanus ad Graeci potissimum sermonis exemplum effingeretur et ad maiorem subtilitatem perduceretur, ut universi coniunctivi, sic potentialis modi usus latius in dies propagabatur. Contra nativus antiquissimi sermonis vigor nondum tanto opere inclinabat in illam artificiosam elegantiam, necdum prisci Romani, quo erant animo aperto et ingenuo, ea quae ipsis exploratissima erant, modestiore quadam iudicandi specie quasi obvolvere studebant. Quare v. c. *Quis dubitat?* pro eo quod est *nemo dubitat* dixisse satis habebant, cum Cicero aliquando aucta sententiae vi oratoria hunc loquendi modum praeferret: *Quis dubitet?* (velut d. or. I, 2, 7, parad. 6, 2.) Atque — condicionalem dictionem si exceperis — ne praesentis quidem potentialis ita valde frequentatus est ab antiquissimis scriptoribus. Qui modus, cum in absolutis enuntiatis occurrit, plerumque spectat ad incertum subiectum, raro ad certam aliquam personam.

---

des Gesetzes (in eo enim genere plerumque futurum per *-s* fictum ponitur) *fordert auch nur die begrifflich vollendete Thatsache als Gegenstand seiner Bestimmungen, die Bedingungen des zeitlichen Eintretens sind völlig neutral und irrelevant für den Standpunkt des Gesetzgebers.*

In secundariis sane enuntiatis paulo latius patet potentialis modi usus, quam in primariis; sed ibi plerumque non tam iudicium aliquod modestiore et urbaniore modo effertur, quam coniunctivus positus est pro verbis 'auxiliaribus' (sive 'modalibus') non solum veniam [*dürfen*] et potestatem [*können*], sed etiam voluntatem [*mögen, wollen*], necessitatem [*müssen*], officium [*sollen*] significantibus; conf. Plaut. Trin. 715 *Sin aliter animatus es, bene quod agas eveniat tibi*[1]) i. e. *was du* [*in Zukunft*] *thun magst, willst.* De coniunctivo cum particula *quom* consociato adeas Luebberti 'Stud. gramm.' vol. II. Praeterea conferendi sunt de relativis enuntiatis Paetzolt l. s. s., de particulis *quod* et *quia* Aug. Zimmermann (progr. Posnav. a. 1880.), de potentiali cum particulis *potius quam* iuncto C. Rothe (Quaestiones gramm. ad usum Pl. et Ter. potiss. spect., progr. Berol. a. 1881). Contra in primariis enuntiatis ex condicione non suspensis quam artis terminis antiquissima aetate praesentis modus potentialis fuerit circumscriptus, exemplorum a me collectorum conspectu inlustrare in animo habui. Sed ne iusto longius producatur dissertatio, hoc in aliud tempus differendum est.

---

1) Vide Brix a. h. l. Conf. etiam Trin. 348 *ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris; „ut potius, als ginge vorher: so wenig darfst du dich ärgern, dass du dich vielmehr schämen müsstest (Potential)"* Brix a. h. l.)

Argumentum.

Locorum qui tractantur conspectus.

Addenda.

1. P. 12 II. a. *β*. hoc adde exemplum: Capt. 711 *Nam cogitato, si quis hoc gnato tuo Tuos servos faxit, qualem haberes gratiam? — faxet Fl., faxit H[andschriften] verteidigt von Madvig opusc. alt. p. 69, Neue Formenl. II 420 und Langen Beitr. S. 53* (Brix.[4] in adn. crit.).
2. P. 17 not. lin. 2. ante *Non redderem?* inserendum: (= *non dares.*)
3. Etiam in novissima (i. e. quarta) Captivorum editione (quae absoluto opusculo ad me perlata est), Brix retinuit v. 309 Fl. (306 Bx. 1.—3. ed.) *voluerim* (codd. *volueram*), quamquam etiam Andreas Spengel codicum scripturam defenderat Philol. XXXVII, 434.

Corrigenda.

p. 3. not. lin. 5. dele: *99.* — p. 3. not. lin. 6. inf. dele: *(9.)* — p. 3. not. lin. 2. inf. lege *hae.* — p. 11. not. lin. ult. lege *velis.* — p. 14. lin. 6. lege *facturam.* — p. 14. lin. 6. inf. lege *siet.* — p. 24. not. lin. 10. inf. lege *Tusc. V, 29 §. 82.* — p. 25. lin. 16. lege *agrum acceperim.* — p. 53. not. lin. 2. inf. lege *nusquam.* — p. 61. lin. 11. lege *(53 Fl.).* — p. 72. not. lin. 2. inf. lege *male sit: ille*

VITA.

Natus sum Franciscus Adolfus Cramer Monasterii ad Eifliam a. d. VI. Idus Octobres anni h. s. LX. patre Francisco, matre Ludovica Koenig. Parentes adhuc in vivis esse gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Postquam per octo annos et dimidium gymnasium oppidi patrii frequentavi, vere anni LXXIX. academiam Bonnensem adii. Ubi per bis senos menses philosophicis iuridicis historicis studiis me dedi. Deinde Friburgum profectus per menses aestivos a. LXXX. scholis theologicis et philologicis interfui. Inde ab autumno eius anni Bonnam reversus in unum philologiae studium omni contentione incubui. Bonna autem vere a. LXXXII. relicta almae matris Philippinae Marburgensis disciplina frui mihi licuit, ibique mense Iunio a. LXXXIIII. examen subii ad docendi facultatem adipiscendam. Docuerunt me viri clarissimi doctissimique

Bonnenses Andresen Aymeric Bernays Bischoff Buecheler Leo Luebbert Neuhaeuser Ritter Schaefer de Schulte de Stintzing Usener,

Friburgenses Kraus Meyer B. Schmidt,

Marburgenses Bergmann Caesar Lenz L. Schmidt de Sybel Varrentrapp.

Seminariorum exercitationibus me admiserunt deinceps Leo Luebbert Buecheler Caesar L. Schmidt philologi, Schaefer Varrentrapp Lenz historici. Hos viros omnes, praecipue autem Luebbertum de Schulte Bonnenses, Bergmannum Caesarem Lenzium Leopoldum Schmidt Varrentrappium Marburgenses, qui studia mea singulari quadam benevolentia adiuverunt, gratissima semper prosequar memoria. Atque etiam Theodoro Birt Marburgensi, studiorum meorum existimatori benevolentissimo, gratias ago quam maximas. Caesarem autem lugubri fato et litteris et discipulis nuperrime esse ereptum vehementissime doleo. —

Autumno a. LXXXIIII. militiae munus ut sustinerem, Friburgum, quam urbem iam antea adamaveram, redii. Sed cum iam initio ex pedibus laborare coepissem, sinistri potissimum pedis usus in dies deterior est factus, ita ut tandem medio mense Maio a. LXXXV. a militia me dimittendum esse medici militares censerent. Quo facto Dusseldorfium me contuli, ut in gymnasio, quod floret auspiciis viri praestantissimi Augusti Uppenkamp, docendi munus susciperem. Ubi adhuc commoror.